NICOLAI MASSAE MEDICI VENETI DE MORBO NEAPOLITANO LIBER PRIMVS.

Proœmium libri primi, in quo nomen morbi Neapolitani declaratur. Caput I.

Diutor meus & protector meus esto domine. Scripturus de morbo Neapolitano, pro bono uniuersali, in quo proximorũ salus continetur, rogo fratres, ut benigne uerba mea audiant, ex eis enim multa bona accipiẽt, quæ & ego ab alijs accepi, & diu laborans in sanandis ægris, legendisq; antiquis & modernis autoribus, experientia & ratione didici, tam de morbi huius essentia, quàm de curatione. Et quoniam, ut inquit Galenus vij. de morbis curandis, in principio apud uulgum fama nõ paruum impedimentum doctis est, nõ alia de causa hoc opusculum cõposui, nisi charitate erga ęgros, & nouos medentes motus nõ cupiditate gloriæ, quæ Deo optimo maximo attribuatur. Ideoq; iterum rogo fratres post me scribentes, si quid melius in hac ægritudine inuenerint, scribant & addant: quoniã si hoc nõ fuerit complementum, erit tamen materia complendi.

Et quia apud Arist. posteriorũ primo, cognitio quid nominis præcedit cognitionẽ quid rei, idcirco in primis talis sit nominis morbi Neapolitani declaratio. Morbus Neapolitanꝰ est ægritudo nobis noua, in qua sepissime apparẽt pustulæ diuersæ, & aliæ infectiones cutaneæ, & dolores mẽbrorũ, & apostemata dura, & ulcera maligna, & in aliquibus sunt omnia, & in aliquibus nõ, sed sunt pustulæ tantũ, aut infectiones, aut dolores tantũ, aut apostemata tantũ: uel sunt pustulæ cum doloribus, aut dolores cũ apostematibus, uel cum ulceribus, quæ fiunt à pustulis, aut apostematibus, ut dixit Auic. quarta quarti. Causam autẽ diuersitatis istorum dicam pòst. Nomen tamen hoc, est nomen uulgi, eò, quia quando

priores homines passi sunt hanc in Italia ægritudinem, rex Gallorũ Neapolim Italiæ urbem occupabat. Et fuit anno domini M CCCC XCIIII. Et cum consuetudo iam inualuit sic nominare hanc ægritudinẽ, ego sub hoc nomine ipsam declarabo, ut nobis sic nominare assuetis nihil ignotum sit. Sed antequam eius completam ponam descriptionem, ad eius declarationem quæ sequentur audies.

Quod non solum per contactũ coitus, sed per alios contactus, & per intrinsecam alterationem fit morbus Neapolitanus.

Caput II.

QVoniam scribentes doctissimi, & etiam medentes, in tam mala & difficili ægritudine diuersa afferũt, & in essentia morbi, & in minera, longe inter se dissentientes: ideo utilissimum fore duxi, si aliquid de minera & basi istius morbi dixero. Et in primis uisum est aliquibus, quod omnes qui tali morbo laborãt, per contagionem coitus infecti sic ægrotarunt. Sed hoc est contra experimentum: bene tamen cõceditur, quod ægritudo est contagiosa, & multi per contagionem coitus inficiuntur: non tamen est dicendum quod omnes qui sunt infecti, per pudendas partes, tam maris quàm fœmellæ, infecti sint: & ibi sit basis & minera istius ægritudinis, cum multi laborent & laborarunt tali ægritudine, qui nunquã in uirili membro, aut in uulua quicquam passi sunt, & nihilominus omnes ferè ægrotabãt partes corporis, ut in multis uidi qui erant infecti ulceribus, doloribus, apostematibus, & pustulis, quorum pudendũ nihil patiebatur. Quod si uerum esset quod dicunt, cum in pudendis putrescant magis humores, ut ipsi dicunt, & est ueritas ob loci dispositionem: quoniam sunt membra humida, & uia ducens superfluitates, ut ait Galenus v. therapeutices: ipsa pudenda magis læderẽtur. Neq; ualet dicere, quod iste humor dum est mordax, ulcerat: & quando non est, occulte procedit, & sic inficit totum corpus, obscœnum nõ inficiens, quoniam

Sedes & pudenda duabus potißimum rationibus putredini obnoxia.

quoniã si inficit loca alia corporis minus præparata ad putredinem, deberet etiã inficere & locum magis præparatum. Sed quid dicemus de pueris nõ lactentibus? Tres hoc anno curaui pueros, unum ætate trium annorum, alterum ætate sex annorũ, & erat puella: tertium undecim annorum: isti non sumpserunt lac infectum, quod (ut dicũt) fit ex sanguine infecto, à matrice ad mamillas à natura transmisso &c. neq; coiuerũt, cum non sint potẽtes ad coitum: & multa alia exempla, quæ breuitatis gratia dimitto. Dico ergo, quod ut in alijs euenit ægritudinibus cõtagiosis, aliquando fit ista ægritudo ab intrinseca alteratione, & sæpissime ab extrinseca contagione, quæ quidem contagio est per exhalationem malorum uaporum: ab una enim quaq; ægritudine materiali malus uapor exhalat, ut dixit Galenus, & scribitur à Conciliatore septima particula probl. Et cum ægritudo ista sit materialis toti corpori communicata, inde est quod uapores eleuati à quacunq; parte corporis possunt inficere alium, maxime si ille sit præparatus ad talem infectionem: quoniam, ut inquit Aristoteles. ij. de anima, actus actiuorum fit in patiente bene disposito. & etiam per aërem per os inspiratum, & aliquos alios contactus, aut cibi & potus, aut uestimentorum, ut uidi multos: & curaui inter alios amicum meum qui per contactum linteaminis, in quo dormierat quidam, qui habebat ulcus Neapolitanum in crure, & dormiuit in illis per noctem unam, captus fuit: & multi alij &c. Habet etiam morbus iste duo quæ sunt requisita in cõtagione, & sunt uiscositas adhærens, & fixio propter malam qualitatẽ materiæ &c. Quomodo autẽ corpus intrinsece alteretur, medicis notũ est, & ex dicendis apparebit: quare ne istis plus quàm par sit immorer, pro modo cõtagionis hæc sufficiãt: & de morbi minera dicam.

De minera morbi & modo contagionis. Caput III.

MElius est dicere cum illis qui dicũt, quod minera morbi Neapolitani est hepar; cum hepar, ut dicit

Princeps prima primi, cap. de generatione humorum, ſit membrum generatiuũ maſſæ humoralis, & per bonum temperamentuum boni humores generãtur, & per nõ bonum, mali. Præterea ab ipſo hepate procedũt uirtutes omnes naturales pro nutricatione, & per omnes corporis partes demandantur, ut ſcribitur ab ipſo Auic. ſumma de uirtutibus, cap. iij. in qua ponit defectus uirtutis naturalis, dando exemplum de atrophia, & hydropiſi carnoſa, & albaras, & morphea, qui quidẽ defectus ſunt ſecundum trium operationum defectus ipſius uirtutis, quod facile poteſt adaptari ad propoſitũ, & maxime ultimum exemplũ de albaras & morphea, cum ſint ægritudines cutaneæ diuerſæ, ſecundũ diuerſitatem admixtionis, ut dixit Princeps, ſeptima quarti, cap. de morphea: quamuis non eſt idem cum morbo iſto, tamen minera morpheæ eſt hepar: hoc etiam atteſtante Auenzoar, ſecũdo theſir, cap. de morphea: dicit ibi: Cauſa huius eſt debilitas mutatiua hepatis, ex qua corrumpit̃ mutatio in alijs membris. Et quãuis hepar taliter ſit infectum ut generet materiam morbi Neapolitani, non propter hoc eſt neceſſarium in alijs operationibus deficere, cum operationes non niſi à diuerſis prodeant temperamentis, ut dixit Galenus ſexto de accidenti & morbo, cap. iij. Sed fortè ſi quis quærat, quomodo per contagionem, puta potus, aut ueſtimentorum, uel quouis aliorũ modorũ, fiat in hepate iſta mala diſpoſitio: hoc facile eſt declarare, ſi quis ſcorpionis exemplum à Galeno. iij. de interioribus, capite. vij. legat: quia particula aliqua corporis infecta, poteſt aliam particulam inficere, & alia aliã, uſq; ad hepar, quod poſtea ſic infectũ per generationẽ nouæ materiæ fouet ægritudinem, & diuturnam ſiue chronicam ipſam facit. Et notare oportet quod cauſa recidiuationis in his qui fuerũt curati, ſæpiſſime eſt: quia aliqua minima, aut notabilis particula, quæ non fuit euacuata, aut à uirtute rectificata, de nouo ſerpit, & propinquas partes inficit, & illæ

alias

alias partes inficiunt, usque ad suam mineram, quæ est hepar, & isti in deteriorẽ cadunt dispositionem, ut experientia docet, & ab Auicenna habetur, prima quarti, cap. ultimo, ubi inquit: Recidiua est deterior sua radice, & secundũ plurimum est sæua. Sic etiam causatur ægritudo ista ab alteratione intrinseca, cum possibilitas sit res ampla, ut testatur idem Auicenna, concurrentibus aliquibus dispositionibus corporis, & regimine in cibo & potu, & alijs rebus nõ naturalibus, ducentibus corpus ad talem infrigidationem. Concurrentibusq; causis terrestribus & supercœlestibus fiunt ægritudines, ut idem attestatur quarta primi, de febre pestilẽtiali. Et cur sæpissime & magis in coitu hoc fiat sensus declarat, cum pudẽda sint porosa, mollia, in quibus facile imprimitur & etiã defert talis cõtagio usq; ad hepar, & in aliquibus fit citò, in aliqbus cum longitudine temporis secundũ maiorẽ & minorẽ uirtutẽ inficiẽtis, & resistentiã suscipientis talem infectionẽ. Fouet etiã aliquando malam istam hepatis qualitatem membrũ aliquod debile, aut plura membra nõ naturaliter disposita, utputa stomachus debilis non debite præparatus, aut splen non mundificans, aut renes, uel etiã cerebrum, quod membrum sæpe fouet ægritudinem. Et hinc est quod aliqui decipiũtur, credentes quod origo morbi sit membrum aliud ab hepate debilitatum. Sed ista dicta pro mineræ morbi declaratione satis sint. De humore qui basis huius est ægritudinis audies.

De humore prædominante, siue de basi morbi, & modo generationis ipsius. Caput IIII.

NOn minores ac difficiliores de humore qui basis dicitur huius ægritudinis, quamplurimorũ doctissimorum doctorum sunt opiniones, quas ne nimis prolixus sit sermo iste, dimitto. Et dico, quod basis morbi Neapolitani est humor phlegmaticus nõ naturalis, à tali mala qualitate frigida, cum aliquali siccitate condensante ipsam materiam; & hoc est clarum, cum uirtu

tes per operationes cognoſcantur, ut dicit Auic. ſumma de uirtututibus: generatur enim phlegma naturale à frigiditate hepatis, ut idem atteſtatur Auic. prima primi: ſed non à frigiditate ſimpliciter, ſed à diminuta caliditate: & ſic phlegma dicit̃ ſanguis diminute decoctus, & hoc, ut ipſe dicit, eſt aptum aliquando cõuerti in ſanguinem, & facere nutrimentum, & tranſit etiam cum ſanguine ad nutrienda membra phlegmatica, & iuncturas humectandas. Et cum hoc phlegma ſit naturale non cauſat ægritudinem iſtam, ut quidam dicunt, niſi quantitate ſua faceret aliquam ſimilitudinem pinguedinis, ut contingit in ſenibus & mulieribus: uel putreſcendo faceret febrem, uel apoſtema non putreſcendo: quod ſi fiunt, non ſunt ita maligna ut eſt morbus iſte. Melius eſt ergo dicere, ſtante fundamento Principis, quod uirtutes per operationes cognoſcuntur, & effectus arguit cauſam: neq; decipior in hoc de effectu accidentali à contraria cauſa. Et ideo ab intrinſeca alteratione concurrentibus cauſis ſuperius dictis, uel à contagione coitus, uel quouis alio modo fit aliqualis caloris hepatis diminutio, quæ nõ tollit generationem ſanguinis, cum diuerſæ operationes diuerſis indigeant temperamentis, ut dixit Galenus loco allegato: & ita multiplicat phlegma cum gradu frigiditatis ultra naturalẽ curſum, & aliquali ſiccitate cõdenſante, addita à tali forma qualitate occulta. Et cum phlegma demandatũ per totum corpus ſit aliquantiſper infrigidatũ, infrigidat & inficit etiã ſanguinẽ, & ſpiritus ab ipſo hepate genitos, ita quod nõ ſufficit pro totali appoſitione, & ſimilatione nutrimẽti, ut clariſſime apparet in patientibus morbum Neapolitanum, qui indies macreſcunt, & male nutriuntur, & hoc propter multitudinem phlegmatis non naturalis, & diuerſam quandam admixtionẽ quæ uix cognoſci poteſt, & aliqualem ſpiritus infrigidationem, ſanguinisq; alterationem, ut dixi. Nõ tamen propter hoc quod aliquis humor, ſiue ſit ſimplex, ſiue mixtus,

xtus, ſit frigidus reſpectu ſuijpſius naturaliter diſpoſiti, tollitur, quin habeant partes calidas, cum ſit mixtũ ex quatuor elemẽtis, eo quod corpus: & etiam euaporando ſecum ducat talem frigidam qualitatem cum corpore aliquo uaporoſo, & ſic inficiat alias partes uſque ad principale membrum. Et ideo recidiuantes, aut male ſe habentes in regimine ſex rerum non naturalium, ob longitudinem ægritudinis cum totius corporis debilitate nõ ſolum inficiunt hepar, ſed etiam ſpiritus cordis, ita quod qui taliter cordis ſpiritus habent infectos, aut nunquam ſanantur, aut cum maxima difficultate, qui pati uidentur ethicam ſenectutis ob pulſus debilitatem cum duritie, & alijs conditionibus, aut maraſmum, ſiue conſumptionem totius corporis, ut ſenſu apparet in multis quos uidi, & omnes uiderunt. Et aliquando propter additam corruptionẽ hepatis, uirtutis & membrorum, in tali ægritudine iſti fiunt cacetici & hydropici: & ratio huius patet. Neque propter hoc poteſt dici, quod baſis ſit humor melancholicus, niſi accipiendo melancholiam largo modo pro humore alterato, alteratione mala diuerſa. Quod autẽ materia ſiue baſis dicta ſit phlegmaticus humor, ſenſus qui non decipitur in proprio obiecto, ut dicit Ariſtoteles .ij. de anima, declarat. Ego ſæpe ſtudioſe aperui puſtulas dicti morbi, & quamuis extra apparebãt rubicundæ, uel alterius coloris, apertis tamen baſis & fundus quædam materia alba, denſa, uiſcoſa, quæ nil aliud quàm phlegma ex quatuor humoribus dici poteſt. Hanc eandem materiam uidimus quotidie in apoſtematibus duris, quas uulgares grumas appellant: nam quando inciduntur, aut ex ſe rumpũtur, ſunt plena materiæ albæ, uiſcoſæ, & aliquando cum liuiditate, quandoq; uero cum rubedine aliqua, ſecundum diuerſam admixtionem. Vidi etiam ſæpiſſime in anatomijs corporum mortuorum, patientium dum uiuerent morbum Neapolitanũ cum doloribus, multam qualitatem materiæ albæ uiſcoſæ,

Maraſmum, id eſt, ſenilẽ ariditatem.

in locis ubi erant dolores: quæ quandoque uidi ipsam duram, & aliquando molliorem: Vt in anatomizato M. D. XXIIII. qui laborabat tali morbo cum doloribus crurum, ut affirmabant eorum uicini: & hoc in locis dolorum quando fuerunt incisa, inuenta est ista materia alba, uiscosa, quæ adhærebat panniculo cooperienti crus, & in multis alijs iuncturis, & prope ipsas reperi quantitatem maximam istius materiæ albæ uiscosæ: quare secundũ materiam & colorem & alia consequentia, oportet dicere, uelimus nolimus, istam esse materiam phlegmaticam, secundũ ipsius basim. Dico hoc propter alterationes, & diuersas admixtiones in tali morbo repertas, quæ sæpe mutant aliquantisper multum colorem & substantiam materiæ. Contingit quandoq; particulam aliquam aut istius materiæ notabilem quantitatem putrefieri, & hoc secundũ dispositionem patientis & regimen, ex qua putrefactione febricula quædam istis accidit quæ ephemera dici potest. Et maior & minor, uel alia erit febris secundum quantitatem materiæ, & aliqualem admixtionẽ aliorum humorum cum isto. Quod si cum admixtione choleræ, exasperat de tertio in tertiũ diem. Et si cum admixtione aliorum humorum, secundũ naturam humoris erit periodicatio & diuersitas febris: & sic à caliditate febrili contingit istam materiam alterari, & exiccari, & aliquando à caliditate innata membri quæ nõ potest eam ex toto resoluere, exiccat ipsam, & sic fit durior siue terrestrior. Et diuersæ aliæ possunt accidere mutationes secundum diuersas causas, quod erit ex diuersitate admixtionum & membrorum & totius corporis alterationum. Ex quibus apparet, quod materia quæ basis dicitur, accidentaliter tamen potest dici & calida, & frigida, & etiã melàncholica, ut patet &c. His ergo declaratis, ne nimis sit tædiosus sermo iste, unde discessi reuertar, & definitionem istius morbi describam.

De

De morbi Neapolitani definitione, unà cum resolutione nonnullorum problematum. Caput V.

MOrbus itaq; Neapolitanus est dispositio mala hepatis ad frigiditatē & aliqualem siccitatem, cum qualitate occulta per uenas & porositates toti corpori communicata: & est cōtagiosa, cum qua fiunt sępissime pustulæ malæ per totum corpus, uel in aliquibus membris, & in quampluribus apparent, in primis in capite & fronte circa originem capillorū, & in uirga, & in uulua, in illis qui per coitum inficiūtur, & hoc fit si materia mala fuerit subtilis, & uirtus expulsiua fortis. Quæ quidem pustulæ sunt diuersæ, secundū humorum diuersorum admixtionem: nam purus humor raro datur, ut sæpe dixit Auicenna, & Galenus primo de accidēti & morbo cap. xij. imò tanta est diuersitas mixtionis ut occulta ferè dici potest, semper tamen de aliquo prædominante humore in mixto est iudiciū. Quare cum pustulis materia admixta est sanguinea, apparent rubeæ, eleuatæ, magnæ, tumidæ, & humidæ. quod si cum admixtione choleræ fuerint, sunt rubicūdiores, sine magno tumore, cum pruritu & siccitate. quod si cū admixtione fuerint humoris melancholici, erūt pustulæ prauæ, liuidæ, ostracosæ, sine sanie ad modū essare, quæ nō occultātur. Quod si materia fuerit simplex phlegmatica, uel simplicitati propinqua, secundū tamen alterationē dictam genita, erunt pustulæ albiores, latiores, sparsæ, molles, sine pruritu. Et omnes istæ diuersificant secundum diuersas admixtiones, ita quod aliquādo sunt corrosiuæ, si cū humore baurachiali erit admixtio: & ambulatiuę, si cum humore acuto calido. Et secundū diuersas qualitates etiā fiunt diuersæ: aliquādo enim ad impetiginis & in serpiginis modū apparent: & quandoq; in modū scabiei, & aliarū diuersarū cutanearū infectionū. Fiuntq; ante apparitionē pustularū sæpe dolores in capite, & aliquādo in alijs membris in aduētu talis ægritudinis, qui dolores fiunt mitiores apparentibus pustulis,

& quandoq; non cessant, sed sparguntur uel stant ibi, si materia est grossa & pauca: quod si est multa, procedunt ad alia membra, & sæpe dolor est in frõte, & quandoq; per totum caput; & sunt diuersi, extensiui, pungitiui, secundũ diuersas mixtiones. Fiunt uero aut quia materia est multa non regulata, uel quia uirtus expulsiua est debilis, aut quia materia est diuersa maligna: quare cum retinetur, sua mala qualitate & extensione soluendo continuum causat dolorem: nam dolor fit, ut inquit Auicen. secunda primi, de causis doloris, à mala complexione diuersa, & à soluta continuitate. Quod si materia subtilietur, & à uirtute expellatur, fiunt pustulæ, & cessant dolores, & aliquando non cessant si materia est plurima. Et in processu multiplicantur dolores membrorum, puta spatularum, brachiorũ, & crurum, & aliorum membrorum, materia multiplicata: & sunt mali, diuersi etiam secundũ diuersa tempora, & diuersitatem membrorum, & locorum sentientium, ut sunt nerui, chordæ, & membra sensibilia. Et pulsatiui fiunt si in loco sunt uenæ aut arteriæ, & sunt mali clamosi in cruribus maxime propter membrorum debilitatem & receptibilitatem cum sint prona, longinqua à fonte caloris qui est cor, & incipiunt affligere in sero, & in occasu solis, & procedũt usq; post mediã noctem, postea declinant. Et raro aliter affligunt: & affligunt magis in nocte, quoniam humiditates plus multiplicantur in nocte, & faciunt extensionẽ aut aliud, & in aduentu diei resoluuntur. Et quandoq; perlongãtur cum materia est multa aut grossa. Quod si uirtus expulsiua est fortis, tunc post diuturnos dolores fiunt tuberositates siue apostemata dura mala, quas uulgares grumas appellant, quoniã expellitur materia quæ retinebatur: quæ quidẽ grumæ sæpe apparẽt à principio nullo pręcedente dolore, sed raro: & aliquando eueniunt cum paruo dolore si non sit in loco sensibili materia neque profunda, quæ apostemata quandoq; adhærent panniculis

&

& ossibus, & corrumpunt ossa corruptione mala: fiunt etiam in gutture & sæpe ulcerantur, & sunt maligna ualde: & quandoq; fiunt in membris intrinsecis & sequntur accidentia mala, ut asthma, & fluxus uentris. Apostemata præterea ista in quocunq; membro fuerint, sunt mala & inobediẽtia digestioni, resolutioni & maturationi, propter eius uiscositatem & qualitatem malam occultam, quæ hanc concomitatur ægritudinem, cum uirtutis membrorũ debilitate. Similiter sunt ulcera quæ ab huiusmodi apostematibus fiunt, & sunt mala, & inobedientia. Fiunt etiã ab istis pustulis & apostematibus cum rumpuntur ulcera diuersorum generum in malignitate secundum causas dictas, in quibus reperiuntur materiæ albæ, uiscosæ adhærentes cum tenacitate, & maxime in apostematibus, quæ quidẽ materiæ in alijs ulceribus non reperiuntur, quæ materia ita alba est cum pauco sensu, dura ad incidendum & frangendũ, quæ sæpe adhæret membro. Et ulcera ista cum perlongantur fiunt profunda, uirulenta, liuida, corrosiua, sordida, cum duritie labiorum & carne ostracosa, & aliquando fiunt ambulatiua: & aliquando omnia ferè genera malorũ ulcerum inueniuntur, in quibus sæpe sunt ossa corrupta denigrata, & aliquãdo sunt alba, sed sunt sicca sine humiditate rorida, propter nutrimenti defectum, & aliquando sunt perforata multis perforationibus cum corruptione maligna, propter malam materiæ qualitatem. Et patientes talem ægritudinẽ ante dictorum accidentiũ apparitionẽ macrescunt indies, uertuntq; colorem à naturali sua dispositione ad pallorem, & sunt pauci qui nõ mutantur. Et sunt sanguinei habentes pustulas rubeas ualde, & isti fiunt rubicundiores cum horribilitate quadam. Et aliquando accidit febricula ante aduentũ, cum aliquo dolore capitis uel frontis, quæ fit ab aliqua materia putrescente, & cum expanditur materia, fiunt grauiores & pigri nõ prompti. Et aliquãdo apparet aliqua dictarum infectionum

Ista siccitas curationem non recipit, si prorsus sit consummata. Gal. lib. 7. Methodi.

in aliquo membro, reliquis membris apparentibus sanis, maxime si uirtus est fortis, aut materia pauca, & hoc aliquando à debilitate talis membri non potentis regulare aut resoluere materiã illam, accidere sæpe potest: nam uirtus fortis cui nihil resistit, (ut dicit Gal.) corrigit malignitatem humoris, & cum est debilis sequuntur ægritudines. Et cum ista ægritudo perlongatur, apparent in aliquibus fixuræ, & squammæ in uolis manuum & plantis pedum, & sunt albæ, duræ, sine humiditate, & aliquãdo in alias partes corporis. Et hoc fit sæpe à natura post sanationem à natura uel ab arte factã, quoniã materia non fuit ex toto resoluta: quæ reliquiæ cum sint paucæ, ad tales partes expellũtur. Dixit nanq; Galenus in libello de cholera nigra: Semp natura sanguinem mundificare tentat &c. Quandoq; uero propter materiæ malignitatem & humiditatem ad neruos transmissæ, & dolorem resoluentem spiritus, accidit paralysis aut spasmus, siue cõtractio membrorum, qui aliquando fiunt usq; ad iuncturarũ dislocationem, & ossium plicaturam siue incuruationẽ. Fitq; sæpe in inueteratis asthma, & est malum, & mortale, & tussis mala propter siccitatem, & materiam descendentem ad pectus, & quandoq; fit à principio, quamuis sit raro. Et in pluribus undecunq; fit iste humor, est rebellis & inobediens medicaminibus. Et sæpe post curationem hæc ægritudo recidiuat, & recidiua quandoq; est cita, & sæpe stat per annos, quæ in multis est deterior, ut inqt Auic. loco præallegato: & causa huius est, quoniam materia ista ob diuturnã hepatis dispositionem fit grossior, & uirtus membri redditur debilior, coadiuuante maxime malo regimine sex rerum non naturaliũ: & etiam propter malum regimen curæ sæpissime, & cum ad ultimam deueniunt malignitatem hepatis, ad hydropicam deueniunt dispositionẽ. Ex quibus omnibus luce meridiana clarius apparet unitas istius ægritudinis, à qua diuersa prodeunt accidentia, quæ non perfecte curantur,

tur, nisi tollatur prima hepatis & totius dispositio, à qua ista pendent. Dixit Galenus. iij. de accidenti & morbo, quod quæ sequuntur morbũ sicuti umbra corpus, accidentia dicuntur, & non morbus. Et ideo qui morbum Neapolitanũ in plures ægritudines posuere, decipiuntur, & in maximo uersantur errore, multiplicãtes entia sine necessitate contra philosophi regulam. Ea quæ ab aliqua prima prodeunt dispositione, illius dispositionis accidentia uocantur, ut testatur idem Gal. loco præallegato, & Auic. ij. primi, cap. i. in fine cap. in exemplo de phthisi & febre ethica. Neq; huic positioni obstant argumenta, ex dictis enim responsio patet. Nec etiã propter hoc negarem quod aliquando aliquod accidens unius ægritudinis fiat per aliquam ultimam malignitatem per se, quæ postea non curatur cura primæ ægritudinis, ut de corruptione mala ossis apparet &c. Quare ut negotium istud expediam, paucula ad clariorem doctrinam in epilogi modum scribam, quæ de causis & signis erunt, nam decies repetita placebũt. Et Gal. ij. de simplici medicina autoritate Platonis inquit, in principio & radice plurimum oportet esse sermonis.

De causis morbi Neapolitani. *Caput VI.*

CAusas ex dictis collige, quę secundũ medicos sunt tres, uidelicet primitiuæ, antecedentes, & coniunctæ. Primitiuæ quidẽ sunt, sicut dispositio aliqua aëris, uel corporum superiorum, ut dicunt astronomi, cum coniunctione illa Saturni, Martis & Veneris in Scorpione &c. anno illo in quo populatim grassari cœpit ista ægritudo, aut cibi generãtis malũ chymũ, præparantis & mouentis intrinsecam alterationem, aut cõtagio coitus, uel cibi & potus, uel aliqua mora cum hominibus infectis, uel cõtactus uestimentorum, ut dixit Auicen. ij. primi, cap. vi. Antecedentes uero sunt humores intrinseci ab alteratione extrinseca, uel intrinseca mala, ad talem malignitatem. Coniunctæ autem sunt humores ita dispositi, ab hepate geniti, qui postea impe-

diunt debitas actiones corporis. Et etiam sunt accidentium causæ, ut pustularũ, dolorum, & aliarum &c. Materialis, efficiens, formalis, & finalis, & aliæ accidentales sapientibus ex dictis apparent. Dicã igitur de signis.

De signis morbi Neapolitani & accidentibus. Caput VII.

SIgna quæ ex dictis eliguntur sunt in duplici differentia, quoniam quædam sunt demonstratiua, & quædã prognostica. Demonstratiua sunt pustulæ cum quadam duritie, aut eminentia & malo colore in capite toto uel fronte circa originem capillorum, uel in alijs corporis partibus, & maxime in angulis oris, & hoc sæpe in infantibus accidit, & in adultis quandoqꝫ, qui naturæ sunt humidæ, quibus pustulis apparentibus non est ambigendũ de esse ægritudinis, maxime si post expergefactionem membrorum percipiunt grauitatem, cum dolore grauatiuo, uel cõfractiuo. Antecediteqꝫ dolor capitis, qui incipit in occasu solis, & declinat ante ortum solis, qui sæpe ad spatulas & aliarũ iuncturarum partes extenditur. Et patientes fiunt pigri, somnolenti, & mutatur color ad pallorem. Et aliquando est febricula, & sæpissime apparent ulcera uirgæ, quæ sunt mala cum duritie callosa, quæ tarde sanantur: & pustulæ fiunt circa pectinem, quæ sæpe à principio in his qui per coitum inficiuntur, sunt signa demonstratiua huiusce morbi Neapolitani sine fallacia. Et sequuntur apostemata inguinum, quæ si superãtur, remouent ægritudinem, maxime à principio, quoniã inguina sunt emunctoria hepatis, per quæ expurgantur uitiosæ qualitates ab ipso in cruore generatæ. Quandoqꝫ à principio apparent in gutture mollificatio uuæ, & apostemata scirrhosa mala, quæ non maturantur nisi raro, & ulcerantur ulceratione maligna, quæ apostemata in recidiua sæpe apparent, & in ægritudine antiqua, & à principio raro. Sunt etiam dolores articulorũ, capitis & crurum, & aliquando in omnibus, & sæpe in aliquibus membris, & maxime in cruribus. Præterea sunt apostemata

dura

dura adhærẽtia panniculis & oſſibus, ut ſunt oſſa furcu
læ, pectoris, crurum & frontis, quæ à uulgaribus gru=
mæ appellantur. Sequuntur præterea ulcera maligna
cum maximo dolore dum de nouo fiunt, & corroſio
mala oſſis. Apparent etiam fixuræ in uolis manuũ, &
plantis pedum, cum ſquamis ſiccis. Et aliquando in ali
quibus partibus corporis alijs fiũt cruſtæ, ſiue infectio=
nes, in modum impetiginis & ſerpiginis. Fitq; durities
iuncturarũ cum tumore in morbo inueterato. Et qui
malo utũtur regimine, ſæpe in proceſſu fiunt aſthma=
tici, & aliquando à principio, ſed rariſſime.

Signa autẽ prognoſtica ſunt in primis, ſi aliqua præ=
ceſſerit mora cum infectis, aut aliter. Et in hoc prodeſt
conſiderare cauſas primitiuas, unde fugiamus talẽ infe
ctionem euitãdo coitum cum mulieribus infectis, aut
in quibus ſit ſuſpicio de infectione: ſimiliter euitando
contactus, moram, aut dormitionem cum infectis, aut
in locis infectis, quoniam cauſæ primitiuæ mouent an=
tecedentes &c. Præterea morbus Neapolitanus cum
paucis puſtulis ſine doloribus, aut cum paucis in iuue=
ne bonæ complexionis citò ſanatur, ſi debita adhibeat
cura. Quod ſi cum multis puſtulis, & doloribus, & alio
rum malorum accidentium, tarde & difficulter ſana=
tur. Et ſi in puſtulis aut apoſtematibus fiat color malus,
in toto corpore ultra diſpoſitionem morbi Neapolita=
ni, corpus habet ſanguinem totum infectum humore
melancholico, & iſti raro ſanantur: adhuc puſtuloſi tan
tum facillime ſanantur. Sed patientes dolores & apoſte
mata dura cum difficultate maxima, & quãto cum plu
ribus doloribus, aut grumis, erit difficilior cura, & ma=
gis ſi tempus perlongatum fuerit. Etiam poſt dolorem
in aliqua parte apoſtema durum expectatur, ſi uirtus
fortis eſt. Præterea ulcera maligna & acutiſſimi dolores *Acutiſſimi do=*
arguunt maximã materiæ malignitatem, uel multitu= *lores quid ſig=*
dinem, & uirtutis debilitatem, aut impedimentum. Pu *nificent.*
ſtulæ, apoſtemata, dolores, aut ulcera, niſi principale

membrũ cum totius corporis cõmunitate curetur, per intrinseca siue extrinseca medicamina si quis sanauerit, ad deteriorẽ recidiuãt ægritudinẽ, maxime si sunt inueterata. In duritie apostemosa si fiant pustulæ, sæpe resoluitur apostema, quoniam materia subtiliatur, & sic melius expellitur. Infecti infectione mala, in qua spiritui cordi cõmunicatur infectio, nõ sanantur, aut cum maxima difficultate. Similiter habẽtes apostemata magna, quæ sunt unita ossibus, quoniã in istis uidetur ferè tota materia nutrimenti corrupta, & uirtus debilitata. Præterea gulosi, bibuli, & multum coëuntes, & sine regula omnia comedentes, & male se habẽtes in regimine reliquarum rerum non naturalium, nõ sanantur nisi raro, etsi sint bonæ cõplexionis iuuenes, & exercitẽtur exercitio forti &c. Præterea qui marasmum natura patiuntur, si incidãt in talem dispositionẽ, rarissime euadunt: & similiter qui asthmatici ex hac ægritudine fiunt. Mulieres uero facilius à tali morbo occupantur propter simboleitatẽ materiæ cum sint phlegmaticæ. Dixit Auic. ij. primi, quod conuersio in genere proportionali est facilior &c. Si multa apparent accidentia, ut sunt pustulæ, dolores, & alia, multitudinem materiæ significant: sin secus, contrarium significant. Non tamen omnia signa aut accidentia sunt necessaria, sed sufficit quod sint aliqua, ut dolores, & pustulæ, aut unum tantum, ut pustulæ, aut ulcus in uirga tantũ, uel in aliquo alio membro, uel apostema, uel squammæ in uolis &c. & ideo quando plura, aut omnia signa apparẽt, audacter ægritudinis essentiã prænuncia. Luxuriosi cum sint infrigidati infrigidatione per spirituũ resolutionẽ, sunt magis ad hanc ægritudinem parati: similiter male se habentes in regimine sex rerum non naturaliũ, ob diuersitatẽ & malam humorũ mixtionẽ. Cura huius ægritudinis est difficilis, quoniã est chronica, & cum malignitate occulta. Et qui euadunt sæpe fiunt pingues cum ante fuerãt macri, & hoc quia sanguis reddit purior ab euacuationibus

Raro sanantur quib. spiritus uitalis inficitur.

A morbo Gallico curati, cur obesiores reddantur.

nibus siue medicamẽtis. Multi etiã post sanationẽ fiunt rauci aut cõtracti in aliquo membro. Et remanẽt uestigia ulcerũ profunda & turpia. Quibus omnibus finem ponam, ne sermo prolixior magis quàm debeat esse uideatur. Igitur tempus est ut de cura aliquid dicamus.

PROOEMIVM LIBRI SECVNDI

in quo ordo futuri processus declaratur, & est pars practica. Cap. I.

Aborauere fessiq; laborãt adhuc doctissimi ac expti medici in uasto fluctuosoq; pelago huius morbi, de modo quo quis canonicè hanc ægritudinẽ curare possit: Et hoc ob diuersam malamq; mixtionẽ humorũ in ipsa ægritudine repertã: nam talis est quod uix cõprehẽdi possit, nisi ab expertissimo in hac re medico: unde ortæ sunt diuersæ de modo curãdi opiniones, ut nostra tẽpestate omnibus notum est. Sunt quidã blasphemãtes illinitiones, & alia quæ in usu sunt auxilia, ut sunt potiones & alia, nullũ tamen nouũ aut antiquũ afferẽtes remediũ, neq; aliquẽ cum doloribus, grumis aut ulceribus sanãt, siue sanare possunt, quæ res ægris nihil prodest, qui quotidie afflicti auxiliũ à medicis postulãt. Sed ne cum istis in suis fluctibus naufrager, quonã pacto hæc ægritudo curari possit, remedijs quibus usq; nunc utuntur medici, infra scribam, diuino in primis postulato auxilio. Neq; me ab antiquorũ canonibus, Galeni uidelicet & Auic. aliorũq; doctorũ elongare uidebis, sed suis semper rationibus & autoritatib. ueluti clypeo, lumineq; quodã utar tam in ordine, quàm in medicaminibus. Inquit Auic. iiij. primi, quod medicationis res ex una triũ rerum cõpletur, quarũ una est regimen & nutriẽtia, alia est medicinarũ exhibitio, & tertia est manualis operatio. Quare cum sanitas, quæ finis est medicinæ, ut testat Aliabas primo practicæ cap. i. quæ in amissæ sanitatis reassumptione, & habitæ cõseruatione cõsistit, in ipsis totã ægritudinis curam ponã. Et quoniã ut ait Galenus. vi. de accidenti & morbo, impossibile est cõprehendere ea quæ actio-

nibus ſunt contraria, niſi prius intelligamus, quæ ſunt actiones pertinentes ſanitati, ideo cõſideratis in primis rebus naturalibus, ut ſunt cõplexiones, per membrorum principaliũ graduationẽ, ut docuit Gal. ij. techni, & ætatem, ſexum, regionẽ, tempus, & cõſuetudinem, ut idem Galenus dixit primo ad Glauconem cap. i. ſic regimen ſex rerum non naturaliũ modo quodam uniuerſali diſpones, quoniã particularẽ modum ſecundũ diuerſitatem actualis curæ habebis.

De regimine aëris naturalis & artificialis. Caput III.

PRimum ex rebus non naturalibus occurrens, cum ſit aër: ſi quis igitur ægrum aut conualeſcentem cura præſeruatiua, aut curatiua regere intendat, aërem in primis moderare oportet, qui ſecundũ hominis naturam & morbi qualitatem declinet ad caliditatem temperatã, ſine ſuperflua uel corruptibili humiditate: quare aër autumni, hyemis & principij ueris non eſt cõueniens: nam inquit Auer. ij. Colliget cap. ultimo: Conueniens eſt medico cognoſcere naturam quatuor temporum, quoniam propter ipſa ſtat magis ſanitas quàm per alias cauſas. Præterea ex ſentẽtia Pauli Aeginetæ in libello de regimine ſanitatis: Regiones, domus, & habitationes, quæ ſunt frigidæ & pluuioſæ, in quibus ſunt fontes mali, ſtagna, lacus, flumina inundantia, & paludes, maxime illæ in quibus caligine radij ſolares obumbrantur, ut cõtingit Venetijs ſæpe, Ferrariæ, & alijs locis, tempore autumni & hyemis fugiẽdæ ſunt: nam ex malis uaporibus humidis putridis inficit aër, & ab ipſo aëre, qui ſemper nos circundat, cauſantur ægritudines diuerſæ, teſte Hippocrate in libello de aëre & aqua. Inquit ipſe: Ex uaria nõ ſolum temporum inter ſe, ſed ex alteratione diuerſa fiunt ægritudines & ſanitas, contrario tamen modo. Et hoc affirmat ipſe tertia particula Aphoriſmorum. Et ideo Leonicenus doctiſſimus non ſine ratione dixit ægritudinem iſtam ab inundatione aquarum & pluuiæ contractã fuiſſe, ueluti à cauſa primitiua

mitiua &c. Si ergo aër à tempore anni, uel aliquo accidenti alteretur & fiat disproportionalis, artificiose rectificetur, ut exiccando ipsum cum igne in cubili, uel cum stufis, aut humectando cum decoctionibus & suffumigijs bene redolentibus, quæ fiunt ex camomilla, rosis, saluia, & alijs, secundũ indigentiam loci & temporis & hominũ: & est doctrina Galeni ix. de ingenio sanitatis siue de morbis curandis, cap. xiiij. Nota tamen quod frigiditas simpliciter nocet causæ, ægritudini & accidentibus. Contrariatur etiam nimia caliditas, quoniam resoluendo calorem innatum infrigidat, & debilitat uirtutes quæ sunt principia omnium operationum: quare qui timent istam malam dispositionem, fugiant loca putrida & clausa, plena malis uaporibus, & maxime ubi sunt patientes talem ęgritudinem, & tactum ipsarum pustularum siue ulcerum, & lotionem in aquis ubi isti lauantur, uel abstersionem cum eodem sudario, deosculationes, & reliquos cõtactus &c. Et regantur ægri uel conualescentes per aërem temperatũ cum uestimentis & cooperimẽtis super lectũ cum dormiunt, & custodiantur à uentis malis, ut sunt australes & frigidi frigiditate congelatiua, quoniam ex nimio frigore non solum ingrossatur materia, uerũetiam congelantur spiritus. Et cum dico conualescentẽ, intelligo non solum illum qui passus est istam ægritudinẽ, sed & illum qui timet incidere in ipsam. Tu uero ex dictis collige & intellige alia quæ consequuntur, quoniam de aëre hic satis dictũ est.

Ex nimio frigore quid accidat

De reginine per cibum & potum. Caput III.

NOn minori cura in cibi & potus exhibitione utimur quàm in aëris recta pręparatione, cum cibus & potus secundũ qualitatem & quantitatẽ sit de causis maximis sanitatis & ægritudinis. Inquit Hali Rodohã iij. techni: Cibus & potus mutant corpus multis specie bus mutationis &c. Quare sint cibi declinantes per caliditatem, siue superfluam, siue corruptibilem, siue indigestibilem, boni nutrimẽti & facilis digestionis, & pau-

carum ſuperfluitatum: dixit nanq; Damaſcenus, diæta eſt primum inſtrumentorum curæ, cum quo ſi curari poteſt, proſpera euenient. Igitur in primis, ſicut docet Auic. cap. de eo quod comedit & bibitur, ſit panis ex bono tritico, ab extraneis rebus purgato, bene fermentatus, non multũ ſalitus, & mediocriter coctus, qui ſaltem per diem coctus quieuerit, niſi ſit aliqua particularis intentio, ut in loco ubi de cura per aſſumptionẽ decoctionis ligni Indici dicam. Carnes etiam eodem caſu incedant, ſint recentes & iuuenes, non multum humidæ, maxime humiditate indigeſtibili, ut ſunt porci, & agni: neq; multum ſiccæ ſiccitate terreſtri, ut ſunt boues antiqui, & cerui &c.

Sint ergo carnes uitulinæ, hœdinæ, & caſtratorum duorum annorũ, paſcentiũ paſcua ſicca, ut ſunt montes, & loca nõ paludoſa, leporinæ, iuuenes, capreolinæ ſimiliter iuuenes, gallinarum, caponum, aut pullorum paruorum ſecundũ tempus: aut ſint perdicum, turturum, phaſianorum, turdorum, & auium nemoralium, quæ capiuntur uiſco uel aliquo alio ingenio: quæ carnes ſint condîtæ ſecundũ indigentiam, aſſę uidelicet uel elixæ, uel alio quouis modo, cum ſaporibus temperatis, ut ſunt pruna agreſtia, & parum cinnamomi. Nota tamen quod melius digerũtur cibaria elixata quàm aſſata, & maxime carnes &c.

Reliqua uero genera carniũ ſunt dimittenda, ut carnes porcinæ, quæ ſunt malæ ſemper, bouinæ, caprarũ, hircorum, & aliorum animaliũ terreſtrium, quoniam nocent tam recentes quàm ſalitæ. Omnia genera præterea auium degentium in aquis ſunt mala, ut ſunt anſeres, & anates, & aliæ. Palumbes, ut experientia compertum eſt, in habentibus dolores multum nocent: auget palumbarũ comeſtio dolores ſua ebulitione dum digeruntur, & materiã ſubtiliando, quæ poſtea facilius penetrat loca illa, aliamq; ſecum ducit materiam. Præterea piſces omnes nõ ſunt boni, quia ſunt frigidi cum hu-

humiditate indigeſtibili: & etiã ſaliti ſunt mali, quoniã ſalita omnia nocent hepati. Quod ſi aliquãdo comedantur piſces, ſint ſquamoſi, degẽtes in aquis claris, ut ſunt luci, trutæ aquarum dulcium. Ex aquis marinis ſint auratæ, dentales, ſcarpenæ, & alij huiuſmodi piſces. Et melior modus coctionis eſt elixatio. Lacticinia non ſunt laudata, ut caſeus propter ſuam uiſcoſitatẽ, ſunt enim duræ digeſtionis. Oua uero quocunque modo, præter indurata, ſunt bona, ut oua ſorbilia, & in brodio contuſa, quod à uulgaribus dicitur broëtũ, & ſit cum parum agreſtæ, uel etiam ſint cocta in aqua integra, & deſuper ponatur parum agreſtæ & zuccari. Nota tamen quod carnis quantitas minus nocet ſi repleatur, quàm aliorũ cibariorũ. Dicit Auic. cap. de eo quod comeditur & bibitur: Carnis nocumentum eſt minus nocumento panis cum non digeritur &c. Fercula quæ conueniunt, ſunt, ut far decoctũ in brodio carnis, uel condîtũ cum amygdalis tritis, niſi adſit dolor capitis (quoniã amygdalæ euaporãt ad caput) & panatella, aut panis infuſus in brodio, & meliſſa, & ſpinachia iuuenis, & borago, buglоſſa, endiuia, lupulus, & cicorea. Omnia uero ferè alia olera & legumina ſunt mala, ut ſunt caules cuiuſcunque generis, ſiue uirides ſiue rubei ſiue albi ſint, quoniã generant malum ſanguinem, & corrumpunt maſſam humoralem, & excitant dolores, ut experiẽtia patet & ratione, dicant antiqui quicquid de eius uſu uelint. Et legumina ſunt mala, quoniam inflant & generant ſanguinem melancholicum, uiſcoſum & nõ bonum. Dantur aliquando cappares non ſaliti: & ſi ſint ſaliti, extrahatur ſalſedo per infuſionẽ aquæ dulcis, & melius per ebulitionẽ, ſintq; condîti cum agreſta & zuccaro, quoniam acetum nocet neruis magnifice, & cauſæ ægritudinis. Sapores conuenientes ſint facti ex amygdalis, menta, cinnamomo, agreſta, & alijs æquiualentibus: nam cinnamomum ſecundũ omnem modum adminiſtrationis cõfert ſtomacho uigorando digeſtiuam uirtu

Amygdalæ uaporoſæ, ideoq; uitari debent, ubi adeſt profunditas ſomni, & grauitas capitis.

Cinnamomi uirtutes.

tem, prodeſt frigiditati & oppilationibus hepatis. Sed alij ſapores, ut facti ex ſinapi, uel allijs &c. non ſunt boni, quoniam faciunt ebulitionem humorum &c. Confectiones & condita quæ ſunt bona, erunt ut amygdalæ, & pineæ, coriandri, aniſi, myrobalani chebuli, & de alijs ſecundũ diuerſas intẽtiones. Fructus omnes ſunt mali, quoniam generant ſanguinem aquoſum, aptum corruptioni: ſed meliores ſunt ut amygdalæ, auellanæ aliquando & recentes fici, uua matura, pruna damaſcena, ceraſa acetoſa, mala granata dulcia & mitia, paſſulæ, & alij iuxta tempus & indigentiam. Comedendi autem tempus fructus eſt ante cibũ, quoniã facile digeruntur &c. Sed alij fructus ſunt dimittẽdi, & maxime poma, quoniã ut teſtatur Auer. autoritate Auenzoar, poſſunt generare ethicã & phthiſim. Et Auic. ij. canonis dicit quod generant malos humores, & febres malas, & aſſiduatio eorum comeſtionis facit incidere in dolores neruorum: quare ſunt dimittenda. Vſus uero aliorum fructuum ſecundũ iudiciũ neceſſitatis eliguntur. Huic diſpoſitioni potus cõueniens eſt uinum mediocre, non uinoſum, neq; aquoſum multum, medij coloris, quod uulgares aurelum appellãt: ſic etiam, ut docet Auic. primo canonis cap. de regimine aquæ & uini, mediũ inter antiquũ & nouum, clarum, nõ album, boni odoris & ſaporis, nõ multum dulce neq; ponticũ, & hoc quoniã dulce generat oppilationẽ, nouum perducit ad ebulitionem humorum, & dyſenteriam: uetus uero eſt pauci nutrimenti: quod ſi non poſſet haberi, ut contingit in regionibus in quibus omnia uina ſunt magna, limphetur cum aqua dulci non paludoſa, ſed ſit à flumine claro, aut ex bono puteo: & ſi ſit ſuſpicio de aliqua mala cõditione aquæ, coquatur ad ignem, quoniam ignis conſumet eam. Vel fiat ſibi uinum tempore uindemiarũ cum medietate aquæ. Neq; audiendi ſunt Empirici & ſine ratione loquẽtes, & dantes uina uinoſa quantitate maxima, quoniam ſunt cæci, & ideo parcen

Fructus omnes mali.

Poma quid efficere poßint.

dum

dum est ipsis, quia nesciunt quid faciũt. Et ne credas uerba mea sine ratione & autoritate prolata, audi Galenum libello de phlebotomia, summa ij. cap. ij. inquientem: Intemperatos uini potatores & gulosos, nullo iuuabis ministerio pharmacans uel phebotomans, acceruant enim confestim multitudinẽ humorum ob intemperantẽ diætam &c. Hora uero comedendi est electiua pro aliqua causa, aut pro regimine uniuersali. De prima hora dico, detur cibus secundũ indigentiam, anticipando uel postponendo, quod sic non est impediens. Dixit Auic. cap. de eo quod comedit & bibitur, quod tũc est hora comedẽdi cũ appetitus insurgit. Sed si esset mala aliqua dispositio stomachi, ita quod aut nihil, aut multũ appeteret, eligatur hora tertiarum, quoniam tunc est iudicium quod stomachus sit à superfluitatibus hesterni cibi emundatus, & satis ad nouum recipiendum dispositus, quia in nocte uirtus unit & melius digerit, & cum in mane nondum sit sparsa, fit melior digestio, quàm si tardetur: tamen in hoc etiam attendendum est consuetudini, docente Hippocrate & Auicen. primo canonis: quod affirmat Auer. i. physic. quia cõsuetudo est altera natura. Ordinate præterea comedendũ est, ut quæ sunt facilis digestionis præcedãt, & quæ duræ, ultimo comedantur. Et potus nõ sit ante cibum, neq; pòst, sed comedendo bibat, ut cibus reddatur aptior ad digerendum. Dixit Auic. Potus post cibum facit oppilationẽ, quoniam facit cibum indigestum penetrare. Et post comestionem comedatur aliquod sigillans & confortans stomachum, ut sunt coriandri, & similia: & omnia comesta bene masticentur, suauiterq; & paulatine potus sugatur. Sint etiam cibaria uniformia quantum potest: quoniam ut dixit Princ. loco præallegato, nihil tam contrarium digestioni, ut sunt cibaria simul sumpta, quæ sunt diuersarum uirtutum pugnantium inter se, quoniã ut ipse attestatur, à duabus impediuntur partibus: una est diuersitas in digerẽdo, quia quod ex eis est indigestum,

Hora comedendi.

admiſcetur ei quod eſt digeſtum. Altera, cum ſic diuerſa comedendo plus comeditur quàm par ſit. Quare cibaria unius uirtutis laudat Auicen. & hoc tam in mane quàm in ſero. Præterea cœna ſit breuior prãdio: & ſpatium inter prandium & cœnam eſt octo uel decem horarũ. Et cœna ſit ſimplicior. Sed comeſtio cum patientibus talem morbũ eſt fugienda, et potus in eodẽ cyatho, & maxime reliquiæ quæ relinquuntur ab infirmis.

De repletione & inanitione. *Caput* IIII.

SVmmopere repletio & inanitio fugiendę ſunt, tam cibi quàm potus, docente Hippoc. ij. part. Aphor. Et Auic. ſecunda primi, cap. de his quæ proueniunt ex his quæ comeduntur & bibuntur: Nutriens mutat corpus & qualitate & quantitate, ſed ex quantitate proueniunt oppilationes & putrefactiones & faſtidium, & ſi diminuantur, prouenit ex eo ad phthiſim. Ratio horum clariſſima eſt, cum ex nimia repletione occupetur uirtus, quæ eſt inſtrumentum naturæ, ſine quo uana eſſent alia inſtrumenta medicinalia. Et ex nimia etiam abſtinentia fit conſumptio radicalis humiditatis, & per conſequens caloris innati, & ducit ad maraſmũ ſiue ad phthiſim: tamen cum ægritudo ſit materialis & de repletione, debemus potius minus cibare q̃ ſuperflue, ni ſi eſſet aliquod ita poſtulans. Quomodo autem inedia ſubtiliſſima in aſſumptione aquæ ligni ſit conueniens, ſine iſto timore in regula aſſumptionis ligni intelligas. Sint ergo diligentes infirmi & conualeſcentes in qualitatibus & quantitatibus, & horis cibariorum & potus tam uini quàm aquę. Dico aquæ, quoniã ſi aqua ſola ſumatur, huic diſpoſitioni multum nocet, & hoc ſecundũ omnem modum adminiſtrationis, maxime in balneis, & potione nimia nocet ſtomacho & neruis, infrigidat hepar, ſanguinẽ & ſpiritum: quare nimius aquæ ſolius uſus eſt dimittendus. Et ut breuiter me ab iſtis expediã, à nimia quouis modo repletione & inordinata cibatione, qui timent hanc diſpoſitionẽ caueant, quoniam ex

Aphor. 10. 18. & 21.

cauſis

causis prolongantibus ipsam sunt cibaria nimia & malus ordo. Dixit Galenus. ij. de accidẽti & morbo: Causa frigidi morbi est plenitudo cibi & potus. Studere oportet etiam in lenitione quotidiana uentris, & si nõ est naturaliter, fiat artificiose cũ suppositorijs, uel clystere communi, aut cum pilulis mastichinis, de fumoterræ, uel aliquo alio ingenio medicinali &c. Et ego cognosco multos homines & mulieres qui in hanc inciderunt dispositionem, qui à malis accidentibus dictæ ægritudinis ex bono regimine cibariorum, & per assumptionẽ quarundam pilularum, aut aliarum rerum lenientium & euacuantium uentrem, secundum naturam morbi & complexionem & sexum præseruati sunt usq; in hodiernum diem: uerbi gratia, cum pilulis de fumoterræ, uel fœtidis, aut mastichinis, aut nostris infra scribendis, uel ex infusione senæ, & de alijs secundũ necessitatem.

De somno & uigilia, motu & quiete. Caput V.

SOmnus cum sit pro restauratione defatigationis necessarius, ex sententia Aristotelis de somno & uigilia, ut melius post somnum uigilemus, ideo eum regulare oportet. Et cum Gal. iij. techni, & Hali in commento, somnũ & uigiliam cõtraria priuatiua esse dixerint, & idem de uigilia facere docuerũt: nam ut ab ipso Gal. iij. interiorum colligitur, superfluus somnus humiditatem generat, & nimia uigilia exiccat corpus. Sit igitur somnus temperatus, non minus octo horarum, nam uirtutes per somnum acquirunt fortitudinem, ut dixit Auic. tertia primi: neq; nimis prolixus, quoniam ex nimio somno fiunt humiditates malæ catarrhales, humectatur & infrigidatur corpus: quæ res ualde contraria tur huic ægritudini: neq; fit somnus immediate post cibum, sed fit per duas horas post: diuturnus etiã somnus & maxime meridianus nocet magnifice, quoniã generat reumatismos & ægritudines frigidas, ut dixit Auic. loco præallegato. Tamen si à doloribus nocturna quies impediatur, siue somnus, ut ferè in omnibus istis cõtin-

git, dormiat in die, uerbi gratia, in mane uſq; ad horam ſextam, uel in alia hora ſecundũ neceſſitatem: & in alijs obſeruetur regula medicorũ. Notabis tamen quod laudauit Auic. ſummopere inceptionem ſomni ſuperuenientem, & in iſta ægritudine multum confert, quoniam digeſtio ſiue cibi in ſtomacho præparatio fit melior. Fugienda eſt etiã dormitio cum laborantibus tali morbo, aut in lecto ubi ipſi dormierunt, quoniã multi ſic infecti ſunt. Et quamuis ſomnus qui quodãmodo quies eſt, cõferret patientibus, non tamen quies ſimpliciter prodeſſe uidetur, ſed magis uidimus laborẽ & exercitationes conferre: quare patientes talem ægritudinẽ uel timentes nullo pacto ſint otioſi, ſed ambulent, uel ludo paruę ſphæræ exercitẽtur, ſi ſunt diuites & iuuenes, nam laudatur à Galeno mirum in modũ, quoniã in ipſo totius corporis partes mouentur, & ſic fit reſolutio & rectificatio humorũ crudorum malorum. Et multi ſolo exercitio, qui fuerunt robuſti, liberati ſunt perfecte ab iſta ægritudine, cum bono tamen regimine in alijs rebus non naturalibus: & ideo tales ſunt exercitandi aut domeſtice ambulãdo, ſiue laborando, uel ludo aliquo ludẽdo quo corpus exercitetur, ut excitata uirtute ab iſtis expellatur, aut morbi materia rectificetur. Neq; balneis aut fricationibus, loco exercitij, in iſta ægritudine cum malis accidentibus utendum eſt, quoniam fit prouocatio materiæ ad membra exteriora, & ſic redditur ægritudo difficilioris curæ, cum fit materia iſta inobediens, ad membra longinqua ſparſa.

De animi paſſionibus & coitu. Caput VI.

PAſſiones animi poſtremo loco regulare docens ſecundum Galeni doctrinã loco ſuprà allegato, cauſam aſſignans ipſius, nam ex malis ſæpenumero animi accidentibus fiunt ægritudines chronicæ malæ ob mortificationem ſiue infrigidationem ſpirituum, uel ſuffocationem caloris innati, qui eſt naturæ inſtrumentum. Et idem tertio techni dixit; Oportet ab animi paſſionibus

bus abſtinere, quoniam mutant corpora ab ea quæ eſt ſecundũ naturã conſiſtentia: & ſunt ut ipſe enumerat, ira, triſtitia, furor, inuidia, & timor. Et Auic. cap. de eo quod comedit & bibitur: Quando ſunt animi accidẽtia horribilia, impediunt digeſtionem &c. Lætentur igitur & ſint iucundi, fugiant plorantes & loca triſtia, ſint in iocis, cantilenis & fabulis, quæ ſint delectabiles & iucundæ, audiant ſonos & uoces ſuaues, & ſtent in uiridarijs, & cum amicis charis: & ſi ſunt ſtudioſi, legant hiſtorias iucundas, neq; multum ſtudeant, maxime materiæ difficili. Medicus uero ægris certam ſalutem infirmo promittat, aſtantibus uero ueritatẽ dicat. Prodeſt multum uideri à medico graui, famoſo, docto cum ueritate, de quo infirmi confidant, nõ ut ſunt deceptores ſine arte, dicatq; medicus quot ſint ſanitati reſtituti, deterius qui ſe habebant. Quantum uero confidentia de medico in mala ægritudine conferat, teſtis eſt Conciliator differentia cxxxv. Autoritate ferè omnium antiquorum non prætermittendam conſiderationem coitus in tali diſpoſitione eſſe putaui, cum patiẽtibus talem ægritudinem de facto nullo pacto conueniat, cum ex nimia materiæ repletione per totum corpus, & ex defectu uirtutis hepatis, nõ niſi à coitu noua quædam debilitas membrorum & infrigidatio expectetur, & ideo eſt dimittẽdus. Et quamuis Galenus dixerit quod coitus temperatus confert, dicendum tamen eſt, nõ quibus deficiunt conditiones ſanitatis: fugiant etiam ipſum conualeſcentes, & qui timent talem ægritudinem, & maxime coitum cum mulieribus menſtruatis de nouo, & infectis iſta ægritudine. Quod ſi fortè quis cum muliere infecta coiuerit, lauentur partes illæ poſt coitũ cum uino albo calido, uel cum aceto, quod magis mihi placet, ut fiat cõfortatio membri & prohibitio corruptionis ad illã malam qualitatem, & ſic ſtet in ſuo robore membrum confortatum. Si uero quis cum infecta muliere coire uoluerit, quod fatuum eſt, lauetur uulua cum uino aut aceto, &

membrum uirile cum aceto, quoniam non ſinit impri-
mere malam illam qualitatem, & non moretur in coitu,
& pòſt lauetur membrum uirile ut ſuprà; & econtrà, ſi
mulier cum uiro infecto coiuerit, lauet uiri membrum
& uuluam ante & poſt coitum; & nō morentur in coi-
tu. Et quomodocunq; ſit coitus, non ſit ſuper repletio-
nem, neq; corpore reſoluto à quacunq; cauſa, nam ex-
tenuatis ſemp̄ eſt malus, & cauſa recidiuationis, ut ex-
perietia patet. Et præparat ſi eſt ſuperfluus, ad nouam
receptionem talis diſpoſitionis; quare nimius dimitten
dus eſt à quocunq;, tanquam quid nociuum & mortife
rum, quia corpus infrigidat, & reſoluit uirtutes cordis,
hepatis & cerebri; quare de regimine in rebus non na-
turalibus ſatis dictum ſit.

De modo euacuandi ſecundū diuerſitatem ægritudinis, qui modus eſt una ſanandi regula. Caput VII.

SEcunda & tertia res, cum quibus actus medicatio-
nis completur, eſt medicinarū exhibitio, & manua-
lis operatio, ut ſuprà dictum eſt. Hac in parte igitur de
pharmacijs quæ faciūt ad curam iſtius morbi tractabo.
Sed quoniā multi ſunt modi quibus medici hanc ægri-
tudinem curant, ut quotidie in modis curationū appa-
ret; nam quidam hanc ægritudinē ſolis euacuationibus
ſanant, maxime ſi ægritudo eſt noua, & uirtus ægri for
tis. Non ſanant quidem ſi antiqua eſt, aut noua cum
multa materia & debilitate uirtutis, quoniā cum mate-
ria ſit admixta per totum corpus in tota maſſa humora
li, non poteſt eam euacuatio per pharmaciā eradicare.
Neq; cum ſit uiſcoſa uirtus digeſtiuorum, ut ſunt ſyru-
pi, poteſt eam digerere, & ideo indiget fortiorib. medi
caminibus, de quibus dicam infra. Nunc uero de illis
quæ faciūt quando materia puſtuloſa aut doloroſa pau
ca eſt, cum admixtione humorum ſubtilium, qui ſunt
faciles ad euacuandū. Neq; propter hoc dico quod iſtæ
euacuationes nō ſint etiam neceſſariæ ante uſum alia-
rum medicinarum fortium, quoniā quacunq; utimur
cura-

curatione, ſemper neceſſe eſt corpus in primis purga=
tionibus cõuenientibus inanire, & etiã aliquando phle
botomia. Sermo itaque iſte erit de curatione quæ fit per
euacuationẽ pharmaciæ, phlebotomiæ, & uentoſarũ.
Nec̃ alicui ſit graue ſi ſyruporum, decoctionũ, electua=
riorum, & aliarum medicinarũ uirtutes, & deſcriptio=
nes particulares, ab alijs etiam doctoribus ſcriptas hic
non ponam, quoniam mea eſt intentio nouos edocere
medentes qui carent cognitione uirtutum medicami=
num. His uero qui ſciunt & cognoſcũt, nil nocere pu=
taui. Rem ipſam igitur aggrediar. Sed quia expedit di=
geſta medicari, & mouere nõ cruda, ut dixit Hippoc. i.
part. Aphoriſ. & digeſtio in calido eſt ingroſſare, & in
frigido eſt ſubtiliare, digeratur ergo ſiue præparetur ma
teria in primis iſtius morbi ſi eſt puſtuloſa uel cum mul
ta admixtione humorum ſubtilium, ut haberi poteſt ex
ſignis dictis, cum ſyrupo de fumoterræ, uel de endiuia,
ſiue de lupulis, addito ſyrupo roſato zuccarino uel mel=
lino, aut de ſticados, ſi materia fuerit groſſa, & dolor ca=
pitis, humerorum, & iuncturarum, qui ſæpe fit à princi
pio, & lymphenẽ ſyrupi cum aquis appropriatis, ut eſt
aqua de fumoterræ, de endiuia, de boragine, de buglof
ſa, de ſolatro, de andacocha quæ eſt trifolium, ſi adſunt
dolores, uel cum aqua iuæ, ſi non eſt idem cum andaco=
cha, uel cum decoctione epithymi Meſue, aut cum de=
coctione noſtra magiſtrali infra ſcribẽda, uel cum deco
ctione ſenæ in aqua lactis, modus quarũ infra ponetur.
Et in huiuſmodi digeſtiuis addat̃ plus de uno ſyrupo,
& minus uel æqualiter ſecundũ neceſſitatem, quæ co=
gnoſcitur per fortitudinẽ accidentium. Hoc idem dico
de admixtione aquarũ cum ſyrupis, ut faciunt practici:
& ut melius uerba mea apprehendantur, ordinetur ſy
rupus, uerbi gratia, ſic: Rec. ſyrupi de fumoterræ ℥.i. de
endiuia ℥.s. aquarũ lupulorũ, boraginis, ſolatri, ana ℥.i.
miſce, & ſumatur in aurora actu calidus, & ſit ſpatium
quinq̃ horarũ uſq̃ ad prandium. Quod ſi fuerit dolor

capitis, aut aliorum membrorum, fiat digestiuum cum syrupo rosato, de sticados: aut de epithymo si apparent pustulæ cum liuore, & sic etiam adde aquas, ut aquam iuæ, trifolij, fumiterræ, & decoctiones secundum indigentiam. Verbi gratia, si sunt dolores neruorum, R. syrupi de fumoterræ, de sticados, rosati, ana ℥.s. aquarum bugloſſæ, lupulorum, iuæ, ana ℥.i. misce. Vel potes loco aquarum ponere decoctionis epithymi ℥.iij. uel decoctionis nostræ, & sic de alijs secundũ accidẽtia huius aut alterius morbi, & hoc non solum cum medicaminibus hic à me positis, sed cum alijs etiam in libris medicorum scriptis. Sed ut processus tuus in curatione sit rationalis, scribã syrupos, aquas, & decoctiones cum suis uirtutibus & proprietatibus. Et primo, syrupus de fumoterræ maior describitur à diuo Mesue, in suo antidotario, distinct. vi. & eius uirtus est, ut ipse refert, cõfortare stomachum, & hepar, & curare morbos cutaneos, ut sunt scabies, lepra, impetigo, & alia quæ pendent à materia salsa. Aperit etiam oppilationes membrorum nutritiuorum, & summopere confert pustulis & ulceribus morbi Neapolitani, si ponatur in medicinis & digestiuis &c. Syrupi autẽ de endiuia descriptiones sunt multæ, sed mea quidem sententia confert in hoc casu syrupus de succo endiuiæ, & est magistralis: descriptio uero est ista: R. succi endiuiæ depurati libras viij. zuccari fini lib. v. s. fiat ex eis syrupus secundũ artem, uirtutes cuius sunt istæ: confert stomacho calido, confortat hepar, & febrilem caliditatem extinguit: & ideo quando cum ista ægritudine est febris complicata, esto memor syrupi de endiuia. Hoc idem dico de aqua endiuiæ, ut colligitur ab Auicen. ij. canonis, cap. de endiuia. Descriptio syrup. de lupulis, credo quod sit magistralis, nunq̃ tamẽ memini me legisse apud ueteres ipsam: sed descriptio posita ab autore luminaris maioris est ista: R. succi lupulorum ℔.ij. succi fumiterræ, ℔.i. zuc. ℔.iij. purificentur succi, & cum zuc. fiat syrupus. Et uirtus est mundare.

dare ſanguinem & choleram, & ſic extinguit calidita=
tem hepatis, & remouet icteritiã, & cutaneas ægritudi
nes, confert aſthmati, & aperit oppilationes ſplenis, ut
colligitur ab Auic. ij. canonis, & à Meſue cap. de uolu=
bili, quare multum cõfert huic diſpoſitioni. Syrupus ro
ſatus mellinus, & dicitur à Nicolao mel roſatum, ſiue
rhodomel; uel ſyru. roſatus & dicitur ieleniabin, & eſt
etiam ſyru. ex infuſione roſarum, & deſcribitur à diuo
Meſue loco dicto, ſunt ferè eiuſdem uirtutis: nam mel
roſatum cõfert ſtomacho debili, digerit materiam phle
gmaticam groſſam tam in ſtomacho quàm in hepate,
& rectificat membra nutrientia, auget calorem digeſti
uum, & cõfortat cerebrum. Cõſimiles ſunt uirtutes ſy=
rupi roſati de zuccaro, niſi quod ſunt debiliores: quare
confert, materia non ita groſſa exiſtente. Syrupus de ſti
cados, deſcriptus loco ut ſuprà, confert ægritudinibus
frigidis neruorum, cõfortat ſtomachum & caput, dige=
rit materiam phlegmaticam & melancholicam, & ualet
ad omnes ægritudines neruorũ frigidas. Syrupi de epi
thymo deſcriptio etiam ponitur à Meſue. vi. diſtin. anti=
dotarij, & cõfert ſcabiei, & ſaphati, ulceribus malis me=
lancholicis, in quibus ſunt humores mali aduſti, & dige
rit materiam groſſam, in qua diuerſa eſt mixtio melan=
cholica & maligna, & ideo confert multum huic diſpo
ſitioni &c. Virtutes autem aquarum endiuiæ, fumiter=
ræ, & lupulorum, ex uirtutibus in ſuis ſyrupis dictis ha=
bere potes. Sed uirtus bugloſſæ & boraginis, eſt confor
tare cor & rectificare ſpiritus, qui eſt inſtrumentum na
turæ, cum quo expellitur nocitiuum &c. Solatrũ con=
fert huic ægritudini prohibendo ebullitionem humo=
rum, & ubi materia mouetur: facta ebullitione, ad mem
bra ſiue ſint iuncturæ ſiue partes cutaneæ, ſi ſolatri a=
quam cum alijs cõferentibus huic ægritudini dederis,
erit notabile præſidium. Trifolium ſua proprietate con
fert doloribus neruorum, confortando uirtutem natu=
ralem membri; & ideo dixit Meſue, ſumma ſecunda ſui

Grabadin, autoritate Dioſcoridis, quod ſecundũ omnẽ modum adminiſtrationis cõfert ægritudinibus neruorum, & appellat ipſum ziniam, ut quidã expoſitor ſentit: ſed de hoc nõ facio uim cum illis qui dicunt quod eſt ſua, nam ſua confert doloribus neruorum à materia frigida, & aperit oppilationes hepatis à materia cruda, & ipſam digerit, ut dicit Auicen. ij. canonis, cap. de camepity: & ideo ſi cum dictis aquis lymphentur ſyrupi, erunt digeſtiua conuenientia. Nota tamen quod ſunt multi alij ſyrupi & aquæ cõuenientes huic ægritudini, tam primariæ quàm correctiuæ, ſed iſti dicti ſunt uſuales. Tu uero ſecundũ indigentiam utere iſtis & alijs: adde in quamcunq; qualitatem, quoniã particulares proprietates indiuiduorũ particulari indigent iudicio. Poſſumus etiam in digerendo materiam iſtam dare decoctiones doctorum & magiſtrales, inter quas ſummopere laudo decoctionem epithymi Meſue, in ſuo antidotario diſtinct. vij. & ponere ʒ. iij. dictæ decoctionis cum ʒ. i. s. ſyruporum, aut ʒ. ij. ſecundũ neceſſitatem, ut dixi ſuprà, quoniam mirabiliter confert, hepar confortando, ſanguinem mundificando, & ipſum rectificando. Et ſic erit digeſtiuum nobilius præ alijs in tali ægritudine, & maxime quando eſt cum multis puſtulis, in quibus prædominium humoris melancholici apparet. Sed aliquando poſſumus dictam decoctionem tribuere in maiori quantitate, utputa ʒ. vi. uel plus, & erit ſolutiuũ ſatis domeſticũ, euacuans ab hepate & uenis materiam malam permixtam, quæ baſis iſtius ægritudinis eſt. Et ego multos ſanaui in principio iſtius ægritudinis, ex potu quotidiano iſtius decoctionis digerendo ut ſuprà, & euacuando: & quando uolebam augere uirtutem ſolutiuam, admiſcebam electuarium aliquod, utputa confectionis Hamech ʒ. vij. & ſic mihi & ægrotantibus bene fuit: & aliquando ego addo & minuo res ingredientes ſecundum indigentiam. Sæpe uſus ſum decoctione epithymi ſine agarico, & ſæpe addo in ultimo puluerem

hermo-

hermodactylatũ, existentibus doloribus iuncturarum, descriptionem cuius ponam infrà, & bene fuit cum bono regimine dicto, & phlebotomia bis & ter facta, interuallo unius hebdomadæ inter unam & aliam interposito. Et ubi multa quantitas pustularũ malarum apparet, cum uentosis scarificatis sæpe appositis procedo, & aliquibus interpositis diebus reitero ipsas. Sic enim in materiam grossam paulatim digerendo & paulatim euacuando iubent antiqui procedere, maxime Auic. prima quarti, cap. de febre phlegmatica. Sed quoniam hic sermo de digestiuis est, dicta ista incidentaliter sufficiãt. Ad digestiua alia deuenio, & est decoctio ex inuentione nostra mirabiliter conferens huic ægritudini nouæ, & antiquæ, digerit & euacuat materiã heterogeneam ex diuersitate malignam existentem in hepate & alijs membris, rectificat uirtutem membrorum nutritiuorum & deseruientiũ, mundificat sanguinem à phlegmate crudo, & ipsum rectificat, remouet defędationes cutaneas, & exiccat materiã frigidam in membris exterioribus longinquis, confortat cerebrum, & corroborat omnes uirtutes corporis. Cuius hæc est descriptio: R. foliorum senæ ℥.i.s. fumiterræ ℥.i. capillorum Veneris ℥.s. scolopendriæ ℥.s. epithymi, thymi, ana ʒ.vij. polypodij ℥.iiij. florum buglossæ, boraginis ana ʒ.vi. liquiritiæ rasæ ʒ.iij. colocynthidis ʒ.ij. hellebori nigri ʒ.i.s. myrobalanorum Indorum ʒ.vij. prunorum damascenorum numero xij. sebesten numero x. tamarindorum ℥.i. succi fumiterræ librã unam, aquæ fumiterræ q.s. misce, & fiat decoctio secundum artem, & facta diligenti colatura cum expressione, sumatur pro digestiuo cum syrupis iam dictis, quæ etiam est domesticũ euacuatiuum. Vel cum ipsa dissoluantur electuaria ad soluendum, & eius dosis pro digestiuo cum syrupis ℥.iij. & sola pro euacuatiuo ℥.v. & plus & minus secundũ dispositionẽ patiẽtis & uirtutẽ & tempus, & cum electuarijs quantũ pro dissolutione sufficit &c. Multos etiã cum

ista decoctione sanaui, dãdo ipsam pro digestiuo in pauca dosi, cum syrupo rosato uel alio secundum necessitatem, & pro solutiuo in maiori dosi: & tu esto prudens, & nunquam errabis dando secundũ indigentiam. Alia etiam utor decoctione quæ digerit materiam grossam, & soluit uentrem leniendo, & confert iuuamẽto notabili huic ægritudini, & est ista: R. senæ ʒ. ij. aquæ lactis libras ij. s. infundantur per diem & noctem, deinde bulliant bullitione una & coletur, quæ colatura est in pauca quantitate, puta ʒ. iij. digestiuum bonum, & in maiori quantitate soluit uentrem solutione leni, & potes in istam etiam ponere syrupos & dissoluere electuaria, ut dictum fuit in alijs. Valet etiam multum, & est experta decoctio facta cum polypodij, epithymi, & ordei ana partibus æqualibus, & decoquantur in quantitate sufficienti aquæ lactis, uel cum iam dictis decoquantur secundũ diuersas intentiones. Et sic ex dictis habebis medicamina diuersa digestiua tam materiæ antecedẽtis ꝗ coniunctæ, experta in ista ægritudine: quæ si cõuenienter administrentur, proculdubio præparabunt corpus ad resolutionem eradicatiuã, cum qua fit perfecta morbi sanatio, ut etiam per simplicia in dictis ingredientia facillime persuaderi potest. Facta igitur aliquali subtiliatione, digestione, siue præparatione, cum ægritudo sit materialis, & de repletione, quod euacuare oportet nulli dubium est, quamuis plenitudo nõ sit causa primaria. Quod autẽ ægritudo repletionalis indigeat euacuatione, testat Galenus cõmento illius Aphor. Quæcunq ægritudines fiunt de repletione &c. Sed quoniam euacuationes aliquando minoratiuæ, & aliquãdo eradicatiuæ fiunt, in ista igitur ægritudine conuenit prima euacuatio minoratiua, cum non sit ægritudo seruans materiam ad unam creticam siue eradicatiuã expulsionem, sed chronica, in qua de nouo regenerantur materiæ, & ideo paulatine digerendo, & paulatine euacuando alleuiat naturam, & prohibet multitudinem istius humoris

Aphor. 2. part. 2.

ris facientis diuersa accidentia, ut sunt pustulæ, dolores &c. Sed nota quod qui fortiter euacuant in ista ægritudine, sæpe exterminant calorem naturalẽ, & euacuant materiam subtilem & grossa remanent, & sic ægritudo deterior redditur. Quare minoratiua euacuatio erit in primis cum aliquo electuario benedicto, uerbi gratia, cũ electuario lenitiuo de sebesten, cõfectione Hamech, electuario de dactylis, de psillio Montagnanæ, de succo rosarum, & alijs, aut cum uno istorũ, aut cum pluribus simul miscẽdo, secundũ necessitatẽ & uirtutes eorum, de quibus dicã infra, & hoc si materia fuerit cum dominio humorum subtiliũ, & pustulosa &c. quæ electuaria possunt dari in forma boli cum zuc. uel dissoluta cum aquis appropriatis iam dictis, uel cum decoctionibus secundũ ægri uoluntatem. Vel loco eorum utere pilulis, si aliqua causa ipsas postulet, aut ægri uel morbi. Et sunt pilulæ de fumoterræ, uel Aggregatiuæ, uel pilulæ Indæ, cum aureis, aut cum pilulis fœtidis, uel cochijs, uel cum agarico trochiscato, secundũ diuersas intentiones dando de ipsis solis & mixtis duabus aut pluribus, secundũ earum uirtutes: uel fiat cum aliquo alio pharmaco æquiualente, quod sit secundũ naturam morbi, & uirtutem patientis. Sed ne te decipiant nõnullorum euacuationes fortissimæ, quæ non solũ sunt horribiles, sed in ueritate sunt causa augmẽti istius morbi, quoniã debilitant stomachũ & hepar, ex qua debilitate sequuntur maiora accidentia, & causæ istius ægritudinis corroboratio. Et ideo debemus cum euacuantibus benedictis correctis procedere. Quod si quis dicat materiã istã uiscosam esse & grossam, ideo indigere fortibus euacuantibus: hoc respondeo esse uerum, sed debemus facere ut docet Auic. prima quarti, secundũ necessitatem medicinam debilem fortem, & fortem debilẽ: ut si demus electuarium de succo rosarum, quod est medicina fortis, debemus dare in pauca quantitate, ita quod educat bis aut ter ad plus, & dare cum ipso electuarium le-

nitiuum, uel aliud nõ laborioſe euacuans, ſicuti eſt hiera picra. Inquit Auenzoar primo theiſir, cap. de ſciſſuris labiorum, omnia laxatiua quæ uiolenter & impetuoſe laxant, trahunt humorem à toto corpore ad ſtomachum, & purgant totum corpus ſtomacho repleto remanente: & cum hoc etiã talis medicina habet totum corpus deſiccare: quare humor malus in ſubſtantia ſtomachi habet remanere. Quod ſi ita eſt, uides quãtus ſit error illorum, qui accipiunt pilulas à quibuſdam aromatarijs quæ laxant uſq; ad ſanguinẽ: & iſti aromatarij male faciũt, dantes huiuſmodi medicinas laborioſas ſine cõſilio medicorum, in quacunq; ætate, in quocunq; ſexu, & tempore, & ſic ſunt in cauſa quod multi toto tempore ſuæ uitæ cum iſta peſſima ægritudine remanent. Non minor error illorum eſt qui decoctionẽ colocyntidæ, & aliarum rerum quæ naturam ueneni habent, ſine aliquo correctorio tribuunt, addentes ſuper cauſam primam ægritudinis, quæ eſt hepatis debilitas: quare ne ſim nimis prolixus dimitto hoc, & ſufficiat me medentes excitaſſe, ut ab iſtis fugiãt, & mitiora ſequantur medicamina. Et ut clarius me intelligas, modus euacuandi à principio ſit talis medicinæ ordinatio: uerbi gratia, R. elect. lenitiui ʒ.i. confectionis Hamech ʒ.s. miſce, & cum zuccaro fiat bolus, uel cũ aquis endiuiæ, fumiterræ, & lupulorũ. q.ſ. fiat potio. Vel fiat cum decoctione epithymi, uel cũ decoctionibus noſtris, ut melius tibi uidebitur, & ſumatur in aurora per quinq; horas ante prandium: uel loco iſtius, ſi neceſſitas aliqua te cogit, aut propter melius, uel materia ſic poſtulante, potes dare pilulas: uerbi gratia, R. pilularum aggregatiuarum, de fumoterræ, ana ℈.ij. fiant pilulæ quinq;, & ſumantur in aurora: & tempus comedendi ſit per ſpacium quinq; horarũ ut ſuprà ad minus. Quod ſi æger fuerit ſtiptici uentris, adde doſim electuariorum, uel pilularum, & augeatur uirtus pilularum cum diagridij granis duobus uel tribus, & plus. Et ſi quæratur maior

pene-

penetratio, cum tantundem salis gemmæ, & sic proce= de & euacua ut dixi. Quod si aliquãdo cõtigerit, quod pharmacum non educat, adiuuabis cum clysterio com muni. Facta ista prima euacuatione cum materia nõ sit una uice eradicabilis, iterum dentur digestiua, siue sy= rupi per tres aut quatuor dies uel sex, secundum tole= rantiam infirmi, & iterum dentur medicamina solutiua dicta, in forma potionis uel boli, uel dentur pilulæ, & & sic procede ad sanitatem perfectam: dico, quando æ= gritudo est noua & pustulosa. Sed nota, quod si æger est cum pustulis multis, semel in hebdomada apponere decem uel plus uentosas est singulare præsidiũ, quoniã ex documento Hippoc. undecunq; natura repit, inde educere oportet: & cum natura ad cutaneas partes hoc facit, apponantur sæpe, utputa quater aut quinquies antequam perfecta sit pharmacorum purgatio: & ego isto regimine multos sanaui. Verum si corpus est ple= thoricum, ego facio phlebotomiã post primam euacua tionem cum pharmaco, à uena basilica dextri lateris. Et quantitas sit secundũ dispositionem ægri, puta quinq; unciarum, & sex & plus & minus. Et aliquãdo reitero ipsam post decem dies, neq; hoc est incõueniens, quo= niam multi fuerunt sanitati restituti qui nouiter ægrota runt, ex sola phlebotomia cum bono regimine: & du= os iuuenes uidi qui ex apertione uenæ saphenæ tantũ usq; ad sincopim fuerũt liberati. Sed esto prudens, quia non cõpetit omnibus, & tutior uia est media. An phle= botomia conferat disputabimus post: reuertamur un= de discessimus, & describamus electuaria & pilulas cum suis uirtutibus, ut canonica semper sit cura & exhibi= tio cuiuscunque medicinæ &c. & primo descriptio ele= ctuarij lenitiui est magistralis, & est ista: R. passularum ℥.ij. capillorũ Ven. uiolarũ, ordei, ana manip. s. iuiuba= rum, sebesten, ana numero xx. liquiritię ℥.s. prunorũ ta marindorũ ana ʒ.vi. folicolorũ senæ, polypodij ana ℥.ij. misce, fiat decoctio in aqua fontis ad consumptionem

Aphor. 2. part. 1.

tertiæ partis, deinde addatur mercurialis manip.i.s.bul liant bullitione una, & coletur, & diſſoluat̃ pulpæ caſſiæ, tamarindorũ, prunorum, zuccari fini, zuccari uiolati ana ℥.vi.coquendo lento igne, & agitando ſemper cum baculo, & in fine adde pro qualibet libra electuarij ℥.i.& ʒ.iij.foliculorum ſenæ puluerizati, & fiat electuarium ſecundũ artem: doſis eſt uſq; ad ℥.ij.& eſt medicina benedicta, educens utranq; materiam, leniendo & confortando membra naturalia, & ducit etiam choleram minoris famæ, confertq; multum ægritudinibus cutaneis: quare cum eſt febris, cum iſta ægritudine da electuarium lenitiuum cum alijs, quoniã multum confert. Electuarium de ſebeſten deſcribitur à domino Bartholomæo Mõtagnana in ſuis conſilijs, in antidotario, & doſis eius eſt uſq; ad unc.i.cõfert febribus, & lenien do educit utranq; materiã, & aliquãdo melancholiam, mundificat ſtomachũ, hepar & renes à materijs uiſcoſis groſſis, mundificatq; ſanguinẽ, & ideo huic ægritudini multũ confert &c. Confectio Hamech deſcribitur à D.Meſue diſtinc.iij.ſui antidotarij, & eſt prima: eius doſis eſt uſq; ad unc.s.ualet ad ægritudines ex cholera & phlegmate ſalſo, & maxime cutaneas, ut ſunt ſcabies, & aliæ infectiones: mundificat ſanguinẽ, & educit materiam groſſam heterogeneam, cum qua multos ſanaui qui à puſtulis & ulceribus malis uexabãtur: quare ſemper in iſta ægritudine cum cæteris in euacuatione adde aliquid de confectione Hamech. Electuarium de dactylis deſcribitur à Meſue loco allegato, & dicit̃ medicina ſecuritatis: doſis eius eſt uſque ad unc.i.euacuat materiam phlegmaticã groſſam & putridam non à remotis, ob uiſcoſitatẽ dactylorũ, ſed à uijs cõmunibus, ut eſt ſtomachus, hepar, & inteſtina: quare eſt conueniens à principio electuariũ de pſillio, cuius deſcriptio ponitur à D.Bartholomæo Mõtagnana in ſuo antidotario: eius doſis eſt uſq; ad drach.vij. euacuat leniendo materias omnes: & cuiuſcunq; permixtionis, extinguit

calorem.

calorem febrilem, mundificat ſanguinem, & confortat omnes uirtutes corporis maxime naturales. Electuariũ de ſucco roſarum deſcribitur à Nicolao in ſuo antidotario, & eius doſis eſt uſque ad drach. iij. & confert doloribus iuncturarum, euacuat utranq; materiam phlegmaticam uidelicet & cholericam, & maxime à remotis, quare eſt conueniens dare quando ſunt dolores neruorum & iuncturarum. Ex dictis collige ſecundũ neceſſitatem componendo unum cum alio in forma boli, uel fiat potio cum aquis in cap. de digeſtione, uel cum decoctionibus, ſecundũ quod tibi melius apparebit. Et crede mihi, quod ſi materia eſt puſtuloſa, & in principio ægritudinis, cum bono regimine, & cum phlebotomia, & uentoſis ſępe poſitis cum ſcarificatione, ſanabis abſq; dubio domino auxiliante. Sed ut pilulas etiã canonice des, earum uirtutes ſcribam. Deſcriptio pilularum de fumoterræ ponitur ab Auic. quarto canonis, Fen ſeptima, cap. vij. tertij tractatus: doſis eius eſt drach. i. s. euacuant materiã corruptã heterogeneã cum admixtione humoris aduſti & phlegmatis ſalſi, & ſanãt infectiones cutaneas, aperiunt oppilationes ſplenis & hepatis, conferunt multum huic ægritudini, & eſt medicina ſiue ſolutiuum forte. Pilularum aggregatiuarũ deſcriptio ponitur à Meſue diſtinct. x. ſui antidotarij, & earum doſis eſt uſque ad drach. i. s. uirtutes quarum ſunt euacuare utranq; choleram & phlegma, mundificando hepar & ſtomachum, & educere iſtas materias à capite & alijs membris. Pilulæ Indæ deſcribũtur à Meſue loco dicto, & doſis earum eſt uſq; ad drach. ij. ualent ad ægritudines cutaneas, ut eſt lepra, ſaphati, & morphea, & ad ægritudines melancholicas, & euacuant humores corruptos malæ permixtionis, & ſunt mirabiles huic ægritudini, quas multoties ſum expertus, & maxime nouiſſime in quodam iuuene ætatis xxv. annorum, cholericæ complexionis ſatis aduſtæ, qui ex contagione mulieris patiebatur hanc ægritudinem, cum ulceribus in uirga

profundis & corrosiuis, cum doloribus iuncturarũ, & aliquibus pustulis in capite, & hinc inde per corpus sparsis, quæ ex colore ad nigredinem ostendebant adustionem humorum, & permixtionem humoris melancholici, cum quibus patiebatur in occasu solis dolorem intensissimum capitis, qui nõ solum extrinsecus ipsum infestabat, uerumetiam communicabatur uentriculis ipsius cerebri, ita quod in augmẽto ipsius doloris deueniebat ad insaniam & maniam, furebatq;, ita quod ab omnibus maniacus dicebatur, & uulgares dicebant quod uexabatur à dęmonibus: unde uocatus ad ipsum statim uisis dictis accidẽtibus iudicaui materiam malam melancholicam ex cholera admixta cum materia morbi istius, quæ uaporabat tempore paroxysmi ad cerebrum (nam ægritudo ista in dolorib. est paroxysmalis, ut patet) esse causam horum accidentiũ: quare his uisis, in primis facta aliquali digestione cum syrupo de fumoterræ, endiuiæ, & rosato, ana unc. s. cum aquis boraginis, fumiterræ, solatri, ana unc. i. dedi euacuationem istam minoratiuã. R. electuarij lenitiui, & de sebesten ana drach. vij. confectionis Hamech drach. ij. s. succi rosarum puri unc. s. aquarum buglossæ, boraginis, fumiterræ, ana quantũ sufficit, misce, & fiat potio quam iussi sumere in aurora, & quinq; horis post accipere prandium: & iterum sequenti mane dedi digestiuum magis appropriatum, & fuit tale: R. syrupi de endiuia, de fumoterræ, de sticados ana unc. s. aquarum lupulorum, fumiterræ, iuæ, ana unc. i. misce, quod sumpsit per duos dies: tertia die feci ipsum phlebotomare à uena basilica dextri lateris, & extrahere unc. vi. sanguinis: in sequenti mane iussi dare digestiuũ dictum, & sic feci per tres alios dies: postea dedi sibi in sero hora xxij. in aduentu paroxysmi has pilulas: R. pilularũ Indarum ʒ. i. aurearum ℈. ij. fiant pilulæ v. & ordinaui dare cœnam transacta hora tertia noctis, & in mane dedi digestiuũ per tres dies, quarta die feci apponere uentosas xij. scarificatas

rificatas hoc pacto, sex super spatulas & dorsum, quatuor super nates, & duas inter coxas propter ulcera uirgæ: sequenti mane accepit suum syrupũ, & in sero iterum accepit hora dicta pilulas dictas: postea iterum per quatuor dies accepit syrupos, postea quinta die pilulas, & sic perseuerauit usque ad uigintiquinq; dies, & iterum feci apponere uentosas ut suprà, postea iterum accipere pilulas, in uespere tertij diei post uentosas. Et sic fuit ab ista ægritudine & accidentibus malis & mania liberatus. Vlcus uero fuit curatum cura ulcerum malorum, cum unguento nostro mastichino, infrà scribendo, quod ualet ad ulcera mala uirgæ & aliorum locorum: uerum est tamen quod ipse accepit dictas pilulas in aurora per duos menses, interposito spacio quindecim dierum inter unam & aliam acceptionem. Ista incidentaliter uolui dixisse, ad clariorem doctrinam istius partis, quæ est cura per pharmacias & phlebotomiam & uentosas, ut scias uirtutem pilularum Indarum multum conferre huic ægritudini: & ego utor ipsis quando est opus, & ægrotantibus bene cõferunt. Sed nunc de alijs dicam, & sunt pilulæ aureæ, quæ ponuntur à Nicolao in suo antidotario, & eius dosis est usque ad drachmas duas, & sunt nobiliores præ alijs in sua operatione, purgant phlegma & choleram, & ducunt à capite, mundificant stomachum & hepar. Pilulæ fœtidæ describuntur à Mesue in decima distinctione antidotarij, & dosis est usque ad drach. ij. euacuant materiam grossam & crudam in stomacho, hepate & intestinis existentem, & educunt à membris longinquis, ut sunt iuncturæ, musculi, & nerui: cõferuntq; ægritudinibus cutaneis, ut sunt albaras, morphea, lepra. Pilulæ cochiæ describuntur à Rasi, in nouo ad Almansorem, cap. de cephalæa & hemicranea, & dosis est usque ad drach. i. s. euacuant materiam phlegmaticam grossam & crudam à capite & stomacho & intestinis, & conferunt ægritudinibus neruorum frigidis. Modus

conficiendi agaricum præparatum elicitur ex dictis à Mesue capite de agarico: dosis eius est uscq; ad drach. iij. & est medicina benedicta familiaris purgans materiam grossam & subtilem ab hepate & splene mundificando sanguinem, & aperit eorum oppilationes, mundificat renes, pectus, matricem, & cerebrum à superfluitatibus uiscosis, putridis, malis: confert omnibus ægritudinibus neruorum & defœdationibus cutaneis, febribusq;, quare huic ægritudini mirabiliter conuenit &c. Et sic habes medicamina, tam digerẽtia quàm euacuantia cum suis uirtutibus, cum quibus potes in ista ægritudine procedere. Verum quoniã multa est diuersitas in ægritudine ista, & in accidentibus proprijs & communibus aliarum ægritudinũ, ideo tuum erit ultra dicta medicamina secundum quod necessitas postulabit, cum alijs etiam additis uel solis procedere: hæc autem dicta sunt ut ualeas per ipsa ultra procedere, securè & moderate, semper tamen habendo oculum ad prædominium humoris: & ideo ex dictis iam infero, quod uomitus multum confert facta aliquali digestione, & hoc tam ratione materiæ antecedentis, quàm materiæ coniunctæ, & mirabiliter accidentibus prodest, nam diuertit & euacuat, & ideo opitulatur doloribus, ulceribus & pustulis. Sed quia dictum fuit quod aliquando sunt membra alia ab hepate fouentia istam ægritudinẽ propter aliquam malam qualitatem uel ægritudinẽ, uiputa stomachus, renes, splen, cerebrum, uel alia membra quæ possunt inficere massam sanguineam: quare rectificare ultra id quod dictum est, & cõfortare dicta membra, erit uera & completa cura. De confortatione quæ post curam conuenit, in cap. de præseruatione à recidiua dicam.

De conuenientia phlebotomiæ, uentosarum, & sanguisugarum. Caput VIII.

SEd quoniam dictum fuit, quod phlebotomia in cura istius morbi conuenit, & sunt alij dicentes, quod nullo

nullo pacto cõuenit, ideo rationes ipsorũ primo gratia indagandę ueritatis audies: quarũ prima est ista: Phlebotomia nõ conuenit in ægritudinibus frigidis, quoniam est sanguinis euacuatio, qui sanguis habet sua calidita= te digerere, & regulare humores frigidos, ergo &c. Præterea ista ægritudo nõ cognoscitur nisi ex signis. Signa autem sunt, dolores, pustulæ, apostemata dura, ulcera &c. Sed quando ista apparẽt, iam materia est sparsa: sed si quis faceret phlebotomiã sparsa materia, operaretur contra operationem naturæ, ergo &c. Adhuc autorita te Auicen. capite de phlebotomia, primo canonis, Fen. quarta: Nemo est phlebotomandus nisi propter mali= tiam sanguinis, aut propter quantitatem, uel propter utrunqꝫ, modo cum basis sit materia phlegmatica, quæ sapit quoquo modo melancholiæ naturam: non conue nit phlebotomia &c. Præterea ut accipitur ex uerbis Galeni in libello de phlebotomia, summa secunda. c. i. non sunt phlebotomandi qui à multitudine humorum per corpus totum grauãtur, quando timetur de eorum cruditate, & cum iste humor sit frigidus, & per totum corpus: ergo &c. Vltimo arguunt quidam, experientia sibi compertum esse quod semper phlebotomia in ista ægritudine nocet, quare &c. Ad solutionem quorum primo est sciendum, quod phlebotomia est euacuatio uniuersalis, quæ multitudinem euacuat, & multitudo est augmentum humorum super qualitatem ipsorum in uenis: & hæc sunt uerba Auicen. Fen quarta primi, cap. de phlebotomia. Quare quando ægritudines sunt materiales ex diuersitate humorum, & maxime in mas sa sanguinea communicatæ per uenas toti corpori, con uenientissima euacuatio est phlebotomia, considerata complexione, ætate, & regimine: & ista est doctrina Galeni in libello de phlebotomia. Sed ne nimis hic ser= mo noster prolixus sit, ad rationes respõdeo: & primo ad primam dico, quod ægritudo ista non est simpliciter frigida, sed est ab aliquali diminuta caliditate tanquam

Huic sentẽtiæ aduersatur Galenus libro 4. Method.

à causa agente causata. Neq; ualet dicere quod à superabundanti fit denominatio, quoniam quid nominis cognitio, est uulgariũ cognitio: sed cõsiderata admixtione cum quantitate aliorum humorum erit denominatio secundũ quid, & non simpliciter. Præterea locus generationis qui est hepar & uenæ, sunt de illis quæ nos omnino cogunt ad apertionẽ uenarũ, cum per phlebotomiam facilius fiat hepatis & uenarũ euacuatio. Præterea iubet Auic. cap. de cura febris phlegmaticæ, prima quarti, ex solo rubedinis urinæ signo phlebotomare: quãto magis in ista cum sint alia signa à dicto. Et hoc idem in alijs frigidis ægritudinibus, ut in cura scrofularum, tertia quarti, & in quampluribus locis &c. Ad secundum dico, quod non operatur contra operationem naturæ, quoniã per phlebotomiam non euacuatur materia pustularum & aliorum accidentiũ, sed euacuatur ab ipso hepate & uenis materia, quæ stat sub causa antecedente & coniuncta: & sic est conueniens, quoniam est cura per remotionem causæ. Ad tertium dico, quod autoritas Auicẽnæ est pro illis qui faciũt phlebotomiã, quia in ista ægritudine est talis malitia in massa sanguinea. Ad quartum dico, quod Galenus loquitur de illis, quorum uirtus non sustinet phlebotomiã: nam eodem capite, & in sequentibus, quando materia est in uenis, quamuis sit cruda, iubet phlebotomare, & quando est ægritudo fortis præsens, aut futura, etsi nullum apparuerit accidens, sed tantũ sit suspicio. Quod autẽ ista sit fortis ægritudo, sciunt qui passi sunt, & qui patiuntur, & etiam qui curat ipsos. Ad ultimum dico, quod experimentũ sine ratione est fallax autoritate Hippocratis: & ideo dicebat Galen. libello de phlebotomia, cap. iij. proœmij, quod organa inuentionis sunt duo, uidelicet experientia & ratio: quare iste non est expertus cum ratione &c. Sed ne decipiatur quis in phlebotomando, audi conditiones phlebotomandi à Galeno in dicto libello: & sunt istæ: ætas iuuentutis, & per iuuentutẽ re-

mouetur

mouetur pueritia, & ſenectus: cõplexio calida cum amplitudine uenarũ, ægritudo timoroſa facta uel fienda, malitia in maſſa ſanguinis, regio calida non reſoluens uirtutem, & tempus anni nõ frigidum, neq; in diebus canicularibus &c. Et nono de morbis curandis, cap. xi. dicit: Phlebotomia fit, quando ſanguis eſt inutilis: & eſt dupliciter, uel quia non habet propriam qualitatem, & nutrire impotens eſt ut prius nutriebat, uel quia ſua quantitate occupat uirtutem, & cauſat oppilationes &c. De quantitate uero phlebotomiæ non datur menſura, quoniam eſt in bono iudicio medici, ſecundũ tolerantiam, & neceſſitatem ægritudinis. Et ideo non eſt mirũ ſi aliqui cum euacuatione & phlebotomia uſq; ad ſincopim, qui ſunt fortiſſimæ uirtutis iuuenes, in principio ægritudinis, in bono tempore anni fuerunt liberati, quoniam fuit facta eradicalis illius ſanguinis euacuatio in quo erat mala qualitas, cum qua nõ erat aptus nutrire: ſed iſti fuerunt pallidi & macilenti per multos menſes, & poſtea facti ſunt cum bono colore, & hoc fuit, quoniam per euacuationẽ phlebotomiæ uel aliam tota materia contagioſa remota fuit, & hepar ad aliam qualitatem mutatum &c. Tamen hoc nõ eſt tutum niſi in fortiſſima uirtute cum aliis cõditionibus &c. Ventoſæ quoniam ſunt uicariæ phlebotomiæ, cum euacuatione per phlebotomiam coincidunt: & etiam ſanguiſugarũ applicatio ſi aliqua neceſſitate apponãtur, puta ſuper hęmorrhoidas, uel in alio loco &c. Sed uẽtoſæ ut dicit Auicen. mundificãt magis partes cutaneas quàm phlebotomia, & extrahũt plus de ſubtili quàm de groſſo ſanguine, & minus debilitãt. Et ideo cõferunt quando ſunt infectiones cutaneæ dicti morbi. Idem eſt dicendum de operatione ſanguiſugarũ, niſi quod operatio eſt profundior &c. Poſſem & alia quamplurima argumenta adducere, ſed quoniam non militant, breuitatis gratia dimittantur.

& est secunda pars practicæ, in qua de medicina ligni Indici sermo est. *Caput* I.

ALiam sanandi hanc ægritudinẽ uiam postremo medentes laudauerunt, quæ est per assumptionẽ decoctionis cuiusdam ligni quod fertur ex India: & hac de causa uocant uulgares hoc lignũ, lignum Indicum: quæ ligni medicina, cum sit quædam species pharmaci, in secundo isto loco non sine ratione scribere eam decreui. Sed quoniã maximã obseruantiã in tali potione, & ligni quouis modo assumptione, & ratio suadet, & experiẽtia cõprobat, ideo omnia quæ necessaria ad curam per assumptionem dictæ decoctionis uel medicaminis, hac in parte scribã: & ne quid medentibus ad medelam deficiat, in primis descriptionem huius ligni ponam, ut à fide dignis scribẽtibus, & ratione, & experientia comprobata habere potui.

De ligni Indici conditionibus. *Caput* II.

EST igitur lignum Indicum arbor, quæ in insulis ultramarinis nascitur, & uocãtur insulæ illæ aut continens à modernis Colecut. Et magnitudo arboris est sicut magnitudo arboris quam fraxinum appellamus, habens folia ad similitudinẽ plantaginis in uenis, quæ non sunt ita magna, sed parua, rotũda & fortiora. Fructus istius arboris est castaneis in forma similis: cortex arboris est cineritius tendens ad nigredinẽ: sed illa quæ est cineritij corticis tantũ, nõ est ita bona siue uirtuosa in ista cura. Grossitudo istius arboris ad plus est hominis siue humani corporis grossitudinis: sed nõ omnes, quoniã quædã est ad instar tantũ cruris hominis grossitudinis, & aliæ minus. Color exterius post corticẽ est albus tendens ad citrinitatem, & in medio ligni est nigri coloris: & lignum quod plus habet de substãtia intrinseca nigra est melius: & quæ sunt ad pallorem, non sunt ita bona: estq; durissimæ substantiæ, ita quod uix incîdi potest: est etiam ponderosum ualde, sed habens

pingue-

pinguedinem maiorem ſiue plus de humiditate, eſt melius: & eius odor eſt ſatis ſuauis, tam in ebullitione ꝗ ſuper ignem lignum ponendo, quàm etiam ipſum odorando quando de nouo inciditur: & ad guſtũ eſt cum aliquali amaritudine, ſed non manifeſta multum. Et dicunt quidã, quod fructus eius eſt ſolutiuus &c. Sed ne te nomina decipiãt, nota quod Hiſpani appellãt ipſum guaiacum: alij uero appellant ipſum lignum ſanctum: ſed maior pars appellat lignũ Indicum. Et eſt difficultas non parua, an de ipſo antiqui aliquam fecerint mentionem: & multi tenent quod non: tamen ego reperio apud Auic. ſecundo canonis, in litera k de karon, dicit quod eſt lignum quod fertur ex India, & confert iuncturis & neruis: & lignum hoc ſimilatur multum ebeno in ſubſtantia, duritie & colore, & fortè quod eſt aliqua ſpecies ebeni. Decoctio eius quando decoquitur, eſt ſimilis ſero lactis, & iunctura ipſius eſt lazuli coloris. Electio eius melior eſt lignum nouum à tempore inciſionis, & uetus ab eius ortu, groſſum in ſubſtãtia, & in colore nigrum, cum gumma ſiue pinguedine, & ponderoſum, boni odoris, coloris corticis ſubnigri, & cum maxima medullari parte nigra, ſine alteratione aliqua, aut corruptione tarmarum ſiue uermium, uel ab humiditate corruptũ, aut tempore: neq; ſit nimis exiccatum, ut poſt inciſionẽ ſupernatet in aqua. Verum ſi quis haberet ipſum uiride, eſſet longe melius, neque eſſet cum ipſo tantus labor in ſanando. Et dicunt qui ab illis inſulis reuerſi ſunt, quod nulla eſt memoria apud ipſos aliquam fuiſſe ægritudinem quam nos morbum Neapolitanum appellamus: & ita omnibus ferè accidit ſicut apud nos uariolæ accidunt: & omnes ex medicamine iſtius ligni ſolius liberantur, nulluſq; unquam fuit, qui ab iſto ligno nõ liberaretur. Ex quibus elici poteſt, quod ægritudo non eſt noua ſimpliciter, ſed nobis tantum, & fortè nec nobis, ſi quis recte cap. de olibano ab Auic. ij. canonis intelligat.

Et Hippoc. lib. 3. Epid.

De qualitatibus, uirtutibus, & proprietatibus ligni Indici.

Caput III.

NOn mediocrem utilitatem fore putaui, si huius ligni qualitatem & naturam rationibus antiquorũ medicorũ, & experimẽto dilucidauero, cum nondum ab aliquo à me lecto id factum sit, quibus postea operationes & uirtutes facilius cognoscere poterimus, ut docet Gal. v. de simplicibus, distinct. prima, cap. iij. & sic etiam rectius inde morbo & accidentibus, isto medicamine succurrere. Notum est igitur medicis omnibus, in qualitatibus medicinarum, quod medicina non dicitur calida aut frigida, humida uel sicca, nisi quia talem qualitatẽ potest imprimere in corpore nostro: & cum hoc sit, ut docuit Gal. in libello de simplicibus, istæ qualitates non tantum experimento, sed etiam ratione inueniendæ sunt: ideo iuxta Galeni doctrinam in dicto libello, ut ipse aperte declarat per experimentum, quod medicina quæ procedit calefaciẽdo semper dum occurrit corpori uscq; in finem, & semper addit in caliditatem dum permanet, ipsa est calida per se, & non per accidens. Et quod dico de caliditate, de alijs qualitatibus etiam intelligendum est. Quare ab experimento incipiens, lignum hoc semper procedit alterando per caliditatem, ut patet si quis lignũ in ore ponat, percipit manifestam caliditatẽ: percipiunt etiam qui decoctionẽ dicti ligni bibunt, dum manet in stomacho, inflammationem non incensiuam, sed satis manifestam. Et hoc non tantũ intrinsecus percipitur, sed etiã extrinsecus: si quis lauet ulcera, aut membrũ sanum, dicit se percipere caliditatem satis notabilẽ, quæ remanet in substantia membri post lotionem: & etiam bibẽdo in gutture sentiunt inflammationem per aliquod spacium. Et hoc non debile est signum uirtutis calidæ istius ligni. Hoc idem attestant accidẽtales qualitates, ut est sapor & odor, quamuis non sit necessarium experiri per istas, ut est sententia ipsius Galeni secundo de simplicibus, distinctione

secunda,

ſecunda, cap. iiij. attamen eſt utile, ut in alijs dixi: & ipſe etiam docet in dicto libello cum dicit, res quibus ſunt odores procul dubio eſſe calidas. Nam odores fiunt à fumali euaporatione ſiue exhalatione, quę arguũt calidita tem, ut dicit Ariſto. ij. de anima. Neqꝫ huic rationi argumentũ de camphora obſtat. Sapor, ut dixi, eſt cum aliqua amaritudine, & ideo, teſtante Galeno eodẽ libello, debemus caliditatẽ per amaritudinẽ arguere; neqꝫ decipior de rebus frigidis quæ ſunt amaræ. Et cum omnes iſtæ cõditiones non ſint exceſſiuæ, declarant caliditatem non exceſſiuam, ſed temperatam cum aliquo exceſſu, ita quod omnino tranſcẽdit ſecundũ gradum, non enim accedit ad tertiũ. Et cum ex dictis ſiccitas aliqua ibi ineſſe appareat, nõ tranſit multum gradum primum, ut colligitur à Galeno quinto de ſimplicibus, cap. ultimo, in quo de gradibus medicinarum agit. Inquit ibi: Medicina ſecũdi gradus eſt illa quæ manifeſte imprimit ſuam qualitatem, ſcilicet caliditatem & frigiditatem &c. & medicina quæ eſt primi gradus, ſenſibilis aliqualiter, ſed non manifeſte, ſed eget demonſtratione &c. Quare cum caliditas iſtius ligni ſit manifeſtiſſima, ſecundũ gradum tranſit. Et ſiccitas cum non ſit manifeſta ex toto, propter hoc dico eſſe uerſus ſecundum gradum in ſiccitate. Neque propter hoc ſpoliatur lignum ab alijs qualitatibus, & maxime ab humiditate, per partes pingues, & uiſcoſas, per quas ſoluit leniendo, quoniam, ut inquit Galenus in dicto libello, apertio fit per caliditatem, & lenitio per humiditatem. Quapropter ut ſummatim uerba dicta colligam, uirtus iſtius ligni eſt calida in ſecundo uerſus tertium, & ſicca in primo uerſus ſecundum, cum humiditate temperata. Et ne me à medicorum doctrina aberrare putes, audi Galenum libro tertio de ſimplicibus, diſtinctione tertia, capite primo: Vnaquæqꝫ medicinarum, quamuis in ſpeculo oculi ſit una, ſimplex, ſingularis, tamen in natura ſui ſecundum plurimum eſt compoſita,

& fortaſſe ſunt in ea uirtutes contrariæ ualde. Et paulò poſt dicit: Nõ eſt in hoc aliquid admirationis in una & eadem medicina propter aggregationem earum uirtutum, in eis uirtutẽ inueniſſe quæ calefacit, & quæ infrigidat, & quæ humectat, & exiccat, & uirtutẽ ſubtilem & groſſam. Et ſi uirtutes actiuæ propriæ nõ eſſent permixtæ hac permixtione, non permiſcerentur uirtutes ſecundæ quæ ſunt poſt eas. hæc Galenus. Eſt igitur ut docuit experiẽtia, calidum, aperitiuum, diureticum, & ſudoris prouocatiuum, eſtq; malarum humiditatum diuerſarum reſolutiuum, & exiccatiuũ, & eſt lenitiuum & abſterſiuum, & uentris ſolutiuũ ſi ex puluere ipſius unc. iiij. quis ſumpſerit: & ſæpiſſime eſt reſtrictiuũ, maxime cum multum ſudoris aut urinæ ex ipſo quis emiſerit, uel ſi cum rebus ſtipticis ſumpſerit, uel torrefacto, & confert ſtomacho ex multo phlegmate læſo, corrigit uitia hepatis & ſplenis, mundificat ſanguinem, & per uentrem educit materias diuerſæ corruptionis, & maxime frigidas: & credunt quidã ipſum eſſe ſingulare præſidium calculoſis, & quod etiam frangat lapidem: prodeſt podagricis à materia frigida, & eſt leproſis magnũ præſidium: confertq; omnibus cutaneis infectionibus, doloribus, & alijs ægritudinibus neruorum, & aliorum membrorum, & fiſtulis, ulceribusq; malis cum qualitate occulta, & ſanat diſpoſitionem morbi Neapolitani antiquam & nouam cum omnibus accidentibus: nam remouet puſtulas & ueſtigia earũ, dolores in quacunq; parte ſanat, reſoluit apoſtemata dura, & ſi ad exituram deuenerint, maturat, & aperit, digerit, & mundificat, & cicatrizat ulcera, & ſimul corruptionem oſſis rectificat, neruos contractos & exiccatos mollificat, & paralyſim ſanat. Infrigidatos & ſtupidos ab iſto morbo calefacit, & maraſmum impugnat, malaq; olentia corpora ad bonum odorem dirigit, oris malũ odorẽ tollit, aſthmaticos ſanat, ſquinantiam malignam reſoluit, cerebri & aliorum membrorum uitia omnia ab iſto morbo ſanat.

Ligni Indici efficacia.

Et

Et ut cuncta unica dictione perſtringã, quæcunq; uitia & accidentia ab iſta ſiue noua, ſiue antiqua ægritudine euenire poſſibilia, paulatine ſanat. Quare bene dicunt qui lignum ſanctũ appellãt. Et uere ſancta eſt eius operatio: ſi quis cõſideratis uiribus & reliquis, ipſum ægris propinet, mirabilis ſequitur effectus. Sileant igitur maledici. Hæc ſatis de natura & uirtutibus ligni dicta ſint, & nunc de modo adminiſtrationis audies.

Morbo Neapolitano per lignum Indicum curando, quæ ſint obſeruanda. *Caput* IIII.

REgimen, ſi quis cũ ligno Indico uult curari à morbo Neapolitano, in ſex rebus non naturalibus, & medicinarum ſit tale: In primis caueat ab aëre frigido, à uentis malis, & locis ubi ſunt uapores humidi & putreſcibiles, ut ſunt paludes & aquæ mortuæ, & loca decliuia, & alia quæ in regimine ſex rerum non naturalium dicta ſunt ante: & ſi non aliter, ſaltem alterando locum habitationis ſecundum tempora anni. Et primo ante omnia oportet purgare corpus ægrum conuenientibus purgationibus, & non ut mulierculæ & imprudentes faciunt, ſed canonicè procedendum, ut dictum eſt in regimine uniuerſali, in primis digerendo, conſiderata conditione ægritudinis & alijs, & hoc cum ſyrupis: poſtea facta aliquali digeſtione euacuare nõ laborioſe, ſed ſuauiter cum ſolutiuis & lenitiuis appropriatis: & cum apparuerit aliquid uel plura ex ſignis de emiſſione ſanguinis, extrahatur iuxta uirtutem patientis, & ægritudinis qualitatem: dicant in hoc garruli quicquid ſibi placuerit. Scio, & nemo doctus medicus ignorat, quod ſanatio fit à uirtute intrinſeca, remoto impedimẽto à medicamine: ſæpe etiam natura fortis ſine aliquo auxilio expellit quodcunq; nocumentum. Nec propter hoc, cum homo ſit diſtinctus à belluis, debet dimittere proprium hominis, quod eſt ratio: quare ſi medicus ante aſſumptionẽ decoctionis iſtius ligni cognoſcit per ſigna corpus plethoricũ, & maxime in uijs cõmunibus, nullo

pacto debet hanc medicinã diureticam dare, nisi prius uias istas cõmunes à superfluitatibus emundauerit. Ego uidi aliquos ex crapulosis, qui nullo accepto medicamine euacuatiuo, acceperunt istam decoctionẽ ligni, qui in deteriorem deuenerunt ægritudinem, licet moderate regerentur: & pauidos in pharmacis sumendis, qui decoctionem sumpserunt pluries, & tamen adhuc laborant: quare sileat qui aliter credit, & rationi & experimento si est rationalis credat. Digeratur igitur materia secundũ quod per accidentia & signa diuersa cognoueris mixtionẽ: ut si est ægritudo noua pustulosa cum rubedine &c. cum syrupo de endiuia rosato, & de fumoterræ, ana ℥.s. lymphentur, cum aquis puta buglossæ, lupulorum, & solatri, ana ℥.i. uel si est signum quod materia sit magis grossa, lymphentur cum decoctione epithymi Mesue, uel decoctione senæ, uel cum alijs infrà scribendis, & hoc uariando secundũ diuersa signa, tam in ægritudine, quàm in patiente, in complexione, & alijs, utputa si æger fuerit mulier, & habuerit aliq̃d uitium matricis, ut sæpe mulieribus accidit, pone syrupum de matricaria: uel si patiatur dolores intestinorũ, addatur aqua camomillæ; & sic in alijs iuxta indigentiã. Quod si ægritudo fuerit antiqua cum doloribus iuncturarũ, & apostematibus, & ulceribus, addat̃ syrupus de sticados, uel de epithymo, & lymphetur cum aquaiuæ, uel de andacocha, aut cum decoctionibus nostris. Et sic secundũ iudicium boni medici digeratur per quatuor aut quinq̃ dies, sumẽdo in mane calidum: & tempus prandij sit per quinq̃ horas post assumptionẽ. Nota tamen quod quãdo est dolor capitis, utilissimum est sumere syrupum post cœnam per tres horas ad minus: quoniam ultra hoc quod digerit & reprimit, confortat cerebrum sua euaporatione, & sic fit alleuiatio doloris. Assumptis syrupis, euacuetur pharmaco, aut phlebotomia. Quod si phlebotomare uis, à basilica in primis incipiendũ est, & sit dexteri lateris, extrahãturq̃ ℥.y. minus

&

& plus, ut postulabit necessitas, cõsideratis dictis in cap. de phlebotomia: quiescat postea æger per duos aut tres dies, & accipiat pharmacum ex benedictis ut dictũ est: quod pharmacum si fortè debile, uerbi gratia, si ægritudo est noua & materia pauca subtilis, ut suprà dictum fuit, cũ electuario lenitiuo ʒ.i. cõfectione Hamech ʒ.v. dissolutis cum aquis dictis, uel cum decoctione epithymi Mes. & si ægritudo fuerit cum doloribus, addat̃ electuarium Indum, aut de psyllio Montagnanæ, uel de succo rosarũ &c. Quod si magis diligis pilulas, procede cum pilulis de fumoterræ uel aggregatiuis, & alijs &c. Et si non indiges phlebotomia, post digestionem euacuabis uias communes necessarijs euacuationibus: & cum ægritudo est cum pustulis, pone uentosas scarificatas in locis ubi plus apparent, præterquam in capite & locis ubi non ponuntur: & hoc fiat semel uel bis secundum quod ratio & res ipsa dictat. Corpore sic euacuato semel bis aut ter secundũ prædicta, æger præparet sibi cubile, in quo si fuerit hyems, ignis accendatur ex bonis lignis non putridis, neque ex carbonibus: possumus etiam cum stupha ipsum calefacere, & fenestræ claudantur, nõ dico à lumine solis, sed ne frigus ingrediatur, aut malus uapor: quod si æstas fuerit, temperare aërem oportet aperiendo fenestras bis aut ter in die, uel cum sparsione foliorum temperatorũ, quæ sint boni odoris, ut sunt camomilla, menta, folia salicis & uitis uua, & spargantur per cubile: & si fuerit necessarium propter nimiũ calorem aspergatur aqua. Nota tamen quod frigus huic ægritudini nocet magnifice, & nihil prodest, neq; tutum est cum frigidis procedere, sed semper cum temperatis. Inquit Galenus: Caliditas temperata confert omni rei: & hoc est clarum, cum anima utatur calido temperato pro instrumento ad omnia quæ sunt corpori necessaria. Cubili itaq; sic præparato lignũ modo infra scribendo præparetur.

Lignum Indicum in curatione morbi Neapolitani qua ratione præparandum. Caput V.

LIgnum Indicum cum ſit duriſſimũ, per limam aut raſpam, ſiue cum aliquo alio inſtrumento, in ſubtiliſſimum puluerem cõuertatur. Et de iſto puluere accipe libras duas, & pone in olla noua nitida & uitreata, & deſuper pone aquam fontis, ſiue fluminis, uel putei libras. xvi. & aqua ſit clara ſine malo odore & ſapore, & dimittantur ſic in infuſione per diem & noctem, uel per duos dies: poſtea facta infuſione, ponatur ad ignẽ, qui ignis ſit lentus, & bulliant olla cooperta uſq; ad conſumptionem medietatis, ollaq; ſit magna, ita quod remaneat quarta pars uacua ut poſſit libere bullire, paulatineq; bulliat cum parua flamma, ſine fumo & inundatione, & bulliendo oportet aſſidue deſpumare, ſpumamq; ſerua, quoniam eſt medicamen iuuatiuũ quando ebibitur aqua, ſi cum ipſa ſpuma circa ulcera, & tumores, & dolores, & puſtulas inungantur: & quando non potes habere ſpumam, aqua prima hoc idem facit, ſi cum ipſa ulcera laueris. Conſumpta igitur medietate aquæ per ebullitionem dictam remoue ipſam ab igne, & dimitte ſic quieſcere per diem: deinde diligenter coletur per colatoriũ, & in uaſe uitreo ſeruetur. Et iſta eſt aqua ſiue decoctio prima, de qua ſumere oportet bis in die, uidelicet mane & ſerò: & dicitur decoctio prima, ſiue maioris uirtutis & efficaciæ: poſtea ſuper idem lignũ quod prius ebullierit, pone totidẽ libras aquæ ſicut prius, uidelicet. xvi. & iterum cooperta olla ponatur ad ignem, & bulliat ut ſuprà ad conſumptionẽ tertiæ partis, & cola ut dictum eſt, ſeruaq; in alio uaſe uitreo, de qua detur ægro ad libitum ſemper quando bibere uoluerit, uidelicet quando comedit: quoniam ſi poſſibile eſt uinum dimittere, oportet bibatur etiã de iſta ſecunda inter diem & noctẽ, ſi opus fuerit, ut quando adeſt ſitis: & iſta appellatur aqua ſiue decoctio ſecunda pro potu diurno. Nota tamen quod non eſſet bonum ſine

potu

potu istius aquæ, diem aliquem transire, quoniam operatio ista est continua, successiua, & paulatina, ut ne sit tempus regenerandi nouam materiã. Ideo antequam prima decoctio epota sit, duæ aliæ libræ dicti pulueris ligni, cum quantitate supradicta aquæ infundantur, & bulliat ut suprà: primam & secundam serua, ut quando prior bibita fuerit, aliam habeas præparatam: & procede usq; ad finem curæ, quod erit ad minus, ut experiẽtia docet, spacium quadraginta dierum. Et qui maiorẽ habent ægritudinem & antiquiorẽ, per spacium maioris temporis hanc decoctionẽ bibãt: uerbi gratia, per duos menses uel per tres, si ultimam malignitatem ægritudinis habẽt. Neq; unum prætermittã, hoc est, quod quantum plus hæc decoctio ebullierit, decoctionem uirtuosiorem & excellentiorẽ in operatione habebis, & citius ægros liberabis. Tamen omnia sint moderata, & modo quodam medio parata. Sic etiã scies quod quanto plus de ista decoctione, siue prima siue secũda biberint, tanto citius euadent. Multum etiam cõfert, si non habent beneficium uentris, facere clystere cum dicta decoctione secunda uel prima.

Ligni Indici sumendi modus, itidemq; uictus ratio. Caput VI.

FActis euacuationibus dictis, præparatoq; cubili æger sumat mane in aurora cyathũ unũ primæ decoctionis maioris uirtutis, & sit pondus dictæ decoctionis ℥.vi. & minus, si nõ tolerat dispositio, & plus, puta ℥.xij. secundũ ægri uirtutem & tolerantiam: & ipsam bibat calidam, & postea cooperiatur bene cum pannis siue coopertorijs in lecto, & stet sic per duas horas, & sudet si est possibile: quod si sudauerit, abstergatur pannis calidis, & subtrahant̃ panni, & sic quiescat usq; ad horam prandij, quod dare oportet per quinque ad minus uel sex horas post assumptionem decoctionis: & eius prandium sit unciæ quatuor panis bene fermentati nõ saliti, & unciæ tres carnis uitulinæ, uel hœdinæ, siue pullorũ gallinarum paruarũ, aut perdicis, aut sint duæ merulæ,

uel turdi, uel ſint quatuor aues nemorales, ex illis quæ capiunt̃ uiſco: & ſint cõditæ iſtæ carnes ſine ſale ſiue eli= xatæ fuerint ſiue aſſatæ, & bibat aquã, ſiue decoctionẽ ſecundã quantũ ſibi libet: & quamuis non ſitiat, bibat, ut cibus admixtus cum dicta aqua efficiatur nutrimen= tum medicinale: & ſic quieſcat per ſeptem aut octo ho= ras poſt prandium, & iterũ accipiat cyathum unum pri mæ decoctionis calidæ ut ſuprà, & cooperiatur in lecto per duas horas, & ſudet ſi poteſt, & nihil comedat: & ſic dormiat. Quod ſi ſitis adeſt tam in nocte quàm in die bibat aquam, ſiue decoctionẽ ſecundam ad libitum, & ſic facere oportet omni die mane & ſerò uſq; ad uigeſi mum diem, & plus ſi uirtus ægri tolerauerit. Tranſactis uiginti diebus, ſi uirtus ægri non ſuſtinet cum unica co meſtione inter diem & noctem, ſpargat̃ cibus, & non multum augmentet̃, ſed dabis tres uncias panis in pran dio, & duas carnis: in ſero uero ad cœnam unciã unam & mediam panis uel duas, & unciam unam carnis, uel unam & ſemis: & cœna ſit per ſpaciũ ad minus quinq; horarum poſt aſſumptionem decoctionis in ſero. Qui= dam tamen aliter etiã dant aquam, quoniã incipiũt da= re prima die duos cyathos, & ſecũda tres, & tertia qua= tuor: & procedunt uſq; ad decem, omni mane uſq; ad integrã curam, & præcipiunt ſudare in lecto, ut dictum eſt, & obſeruant inediã in alijs: ſed hoc nõ debet fieri ni ſi in robuſtiſſimo homine, quoniã ex nimio ſudore fit maxima uirtutis reſolutio. Sed modus ſumendi deco= ctionem ſit iſte, uel ille, quoniã multos alios rationales poſſumus docere modos: ſemper tamen ſi poſſibile eſt, uinum dimittere oportet, & nullo pacto bibere, niſi ali= qua complicata fuerit ægritudo, cum qua potus nimius aquæ eſſet ultimum nocumentum, uel quod non tole= raret æger ſine potu uini, & in tali caſu dandum eſt ui= num cum cibo, lymphatum cum ſecunda aqua, ut ego feci in quodam ſene quem liberaui ab iſta ægritudine per potum dictæ decoctionis: ſed quoniam erat cache= ticus,

ticus, quæ eſt præuia diſpoſitio ad hydropiſim, dabam uinum lymphatũ cum aqua ſecundæ decoctionis quando comedebat tantũ. Nota tamen quod regula eſt menſuranda ægris. Dico hoc ne aliquado decipiaris: ſunt enim multi homines non tolerantes famem ſtomachi, propter conſuetudinẽ ipſam: quare eſto prudens, quia iſtis dandum plus panis & etiam carnis, utputa uncias ſex panis, & quatuor carnis. Et potes etiã aliquid non ualẽtibus ſine cibo dormire, dare: aut aliqua alia de cauſa ſine cibo in ſero quieſcere, quoniã ſunt multi qui ex fame in ſincopim cadunt, & ideo iſtis in ſero aliquid dabis, uerbi gratia, duos aut tres bolos panis, & pòſt bibant de ſecunda coctione &c. Et ſic unumquenq; ſecundum iudicium extimatiuũ regulabis, quoniam in omnibus certa regula dari nõ poteſt. Semp tamen ſiue ſemel comederit, ſiue bis in die, mane & ſerò accipiat decoctionem primã, ut dictum eſt ſuprà, ad minus uſq; ad quadrageſimũ diem: neq; dies aliqua ſine potione dictæ decoctionis ſit, & obſeruetur regula in alijs, in regimine uniuerſali dicta, quoniã multi qui male ſe habuerunt in coitu & in alijs, & dimiſerunt hoc medicamen ante perfectã mundificationẽ membrorũ, & ſanguinis ab iſta materia, & ante perfectã hepatis rectificationẽ, ad deteriorem diſpoſitionẽ deuenerunt. Quare eſt neceſſarium procedere, & poſt ſanationem etiam quæ cognoſcitur per remotionem accidentium, & quod æger melius indies ſe habet, & hoc per duos menſes ad minus cum bono regimine in omnibus, & maxime in cibo & potu & in coitu: nam coitus in conualeſcentibus debilibus, eſt cauſa deterioris recidiuationis, nõ ſolum in iſta, ſed in omni ægritudine. Et hæc de modo aſſumptionis dictæ decoctionis, quæ maxime eſt in uſu. Verum, ut dicunt qui ad nos modum iſtum medendi attulerunt, poſſumus etiam cum iſto ligno aliter curare iſtam ægritudinem, & facere ex puluere ſubtiliſſimo, & bene per ſetonem cribellato, electuariũ: utputa, acci-

pe pulueris ligni Indici ſubtiliſſime puluerizati libram unam, ſyrupi de fumoterræ.q.ſ.uel cum paſſulis fiat electuarium, de quo ſumatur ab ℥.s.uſq; ad ℥.i.in mane & aurora, & cooperiatur ut ſudet, & in omnibus ſeruetur regimen ut in aſſumptione decoctionis, & ſic in ſero accipiat etiam eandem quantitatem, & ſudet: ſed in potu ſumat aquam decoctionis, quando ſitit: & poteſt etiã pro potu facere ſic: R.pulueris ligni Indici librã.i.aquæ fontis libras.xij.infundãtur per diem & noctem, & poſtea bulliant ad cõſumptionem tertiæ partis, & coletur ut ſuprà dictum: & ſerua lignum ſemel decoctum, pro alia decoctione, cum tantundem aquæ ut ſuprà, & in reliquis ſeruabis ordinem ſuprà ſcriptum. Potes etiam conficere pilulas ex dicto puluere cum ſyrupo appropriato, utputa ſi ſunt dolores iuncturarũ, cum ſyrupo de ſticados: quas pilulas dabis patiẽti mane & ueſpere, cum regimine dicto: quãtitas ſit ad minus ʒ.iij. Hoc idẽ dico de conficiendo electuario, quoniã ſecundũ diuerſas diſpoſitiones ultra ſyrupũ de fumoterræ potes addere alios, ut ſi eſt ulcus, cũ ſyrupo de epithymo, & cum alijs ut neceſſitas poſtulat. Hoc etiam ſcito, quod quando corpus eſt ſtypticum, debes uti clyſtere cõmuni, uel ex iſtamet decoctione, aut dare aliq̃d medicamen ex dictis, aut aliquas pilulas ſemel in hebdomada: aliq̃ uero dant pro ſolutiuo ʒ.iij. uel iiij. & plus pulueris dicti ligni cum ſua decoctione, & eſt bonũ. Nota quod poſſumus etiã per alembicum poſito in ipſo de puluere dicti ligni extrahere aquã, & ipſam propinare eo modo, quo decoctionẽ, uidelicet mane & ſerò: ſed erit medicamen ualde debile: tu uero compone diuerſa medicamina cum iſto, & ſerua ordinẽ comedendi & bibendi in omnibus, & aliarum rerum iam dictarum. Dico hoc, quoniã ſunt qui ſine carne dant decoctionem iſtam, & pro cibo panis bis cocti, uncias quatuor ſemel in die porrigũt, cum uncia una paſſularum, quod non eſt extra rationem: tu uero iudicio extimatiuo, ſecundũ diuerſas regiones & tempora

tempora potes uariare cibaria, non uariata tamen qua=
litate uel quantitate: & erit laudabile ſemp, ſi ultra expe
rimentum rationibus procedas.

Quod præfata, hoc eſt ſubtilis uictus ratio huic ægritudini in primis conueniat, cum cæteris ad curã neceſſarijs. Cap. VII.

QVoniam in regimine uniuerſali dictum eſt, quod non debemus in iſta ægritudine cum ſit chronica ſubtiliare multum diætam cibi & potus, & hoc docen=
te Hippocrate. Et tamen hic ſuprà dictum fuit, quod in *Aphor. 4. part. 1.*
cura per iſtam decoctionem, oportet ſubtiliſſima uel ſal
tem multum uicina ſubtilitati inedia uti, ut ex dictis li=
quet: & hoc non ſolum uidetur cõtrarietas in ſermone,
uerumetiam antiquorum medicorũ regularum deſtru
ctio: nam ſtat regula Hippocratis in multis locis Apho=
riſmorum, quod tenuis diæta in longis ægritudinibus à
uirtute non toleratur: eſtq; Galeni etiã dicentis: Opor=
tet medicum habere duos oculos, dextrum ad uirtutẽ,
ſiniſtrum ad ægritudinem. Et Auicenna dixit: Oportet
ad id quod magis ſuſpectũ eſt redire, & eſt uirtus. & mil
le ſunt autoritates: quapropter dicunt aduerſarij quod
iſte modus curæ in iſta parte eſt irregularis: quare ut ue
ritas clarius appareat, nota in primis quod aduerſantes
bene dicunt, ſed male applicant poſtea dicta autorum
in actu practico, & hoc quoniã iſta non eſt ultima, neq;
multum tenuis diæta: qui enim bibunt iſtam decoctio=
nem, ſumunt in die libram unam aquæ decoctionis pri
mæ, quæ aqua eſt ſpiſſa, corpulenta, & ſimilatur quan
do lignum eſt bonum ſero lactis à quo non extractum
fuit butyrũ, neq; partes illæ caſei, quæ remanent: quare
cum ſit ita, iſta potio eſt nutritiua, & facilis digeſtionis
propter ſuam ſubtilitatem: & potius dicenda eſt medi=
cina cibalis quàm aliter. Deinde iſti bibunt per diem &
noctem de ſecunda decoctione ad libitũ, quæ etſi non
ſit ita pinguis, eſt tamen corpulenta, & nutritiua &c. &
hoc docet experiẽtia: neq; propter hoc dico, quod diæta
non ſit mediocris, quam diætã laudant medici: nam Ga

lenus in commento ſecundo quartæ particulæ Aphoriſmorũ dixit, quod abſtinẽtia totum corpus æqualiter purgat: & in prima particula Aphor. commento nono dixit: Taliter diætandus eſt infirmus, ut uirtus conſeruetur, & non nutriatur morbus. & in alio loco: Infirmis non debet uirtus augeri, ſed conſeruari: ſed diæta mediocris conſeruat uirtutem. Et tu adde, quod cum medicamen iſtud ſit leue, & paulatine per uenas tranſiens, rectificat, reſoluit, & omnes dictas operationes facit: quare ſi multa quantitas cibi cum dicta decoctione admiſceretur, extingueretur eius uis, & ſic aut multum debiliter operaretur, aut nihil: & multa alia dicenda ſunt, quę omnia ſi quis recte inſpiciat, nihil cõtra dicta prius, uel antiquorum inuenerit: igitur conſiderata uirtute & alijs audacter diætabis. Nota etiam quoniã propter ſudoris aut urinæ à dicta potione emiſſionẽ, ſæpe fit conſtipatio uentris, quam rem ſecundũ maiorem partem non timent medici, ſed bene ſuccurrũt dando quando conſtipatio uentris accidit pilulas de fumoterræ uel aggregatiuas, & de alijs ſecundũ quod neceſſitas exiget: uel cum electuarijs dictis, puta cum electuario lenitiuo, de ſebeſten, de dactylis, & de reliquis, ut dictum fuit in cura per pharmaciam: nam ibi uirtutes eorum ſcripſi, ut recte ſecundũ opportunitatem ipſis uti poſſis. Potes etiam cum clyſtere communi & alijs, uel cum iſtamet decoctione facere clyſtere, ut in alio cap. dixi, & ſic lenire uentrem: uel cum puluere dicti ligni mouere uentrem ſumendo ut ſuprà, dando ʒ. iij. aut .iiij. uel plus cum dicta decoctione, uel parũ brodij diſſoluto, & hoc fiat in mane, per quinq; horas ante prandium: & in die quo accipitur pharmacum ſolutiuũ, aqua primæ decoctionis nõ debet ſumi, bene ſumatur in ſero. Et ſic oportet procedere uſquequo ſigna perfectæ curæ appareãt: ſed communiter hoc fit in quadraginta diebus, & plus, ut dictum eſt, ſi ægritudo eſt antiqua, aut uirtus debilis. Quod ſi aliquando ægrum citius reſtaurare ſine cibo

uelis,

uelis, potus citò restaurat, sed citissime boni odores restaurant, & hoc affirmat Gal. secundo Aphorismorum commento. xi.

Quod lignum hoc facultate sua morbum sanet, & non inedia: quo etiã pacto accidentia quæuis curanda sint. Caput VIII.

MVlti qui ad pauca respiciũt ausi sunt dicere, quod sanitas quæ sequitur per potionẽ dictam non est ab ipsa uirtute ligni, sed à tenuitate inediæ: qui etsi sine ratione & experimento hoc dicant, non tamen sine autoritaibus antiquorũ, una quarum est Galeni iam dicta quarta particula Aphorismorum commento secundo: Quia, inquit ibi, abstinẽtia totum corpus æqualiter purgat: & cõfirmat hoc autoritatibus alijs quamplurimis. Auerrois Colliget septimo cap. primo dicit: Abstinẽtia est species euacuationis. & multæ aliæ sunt autoritates: quare ne in istis nimis sit prolixus sermo, sciendum est quod & si inedia æqualiter corpus purget, non tñ omnes humores corporis purgat, ut bene declarat Auer. loco allegato, quoniã unusquisq; humor per propriam uiam euacuatur, & per propria medicamina: non enim quodlibet agit in quodlibet &c. Imò dico quod nimia tolerantia cibi sola est mala, quoniam exterminat uirtutem & auget materias frigidas, quæ est basis istius ægritudinis. Sed quid opus est rationibus? Nónne ego pluries hoc expertus sum, uidelicet regere patientes morbum Neapolitanũ subtilissima inedia per mensem, & per duos menses, & abstinui multos à uino, & tamẽ potius deterius se habuerunt quàm melius? Virtus igitur ligni sanat cum cibarijs admixta, quoniã assidua dictæ decoctionis assumptio paulatine massam sanguineam rectificat & chylum, ex quo sanguine ita rectificato & per uenas transeunte, habet infectum rectificare, & superfluitates expellere, & alia facere, ut dixi: quare &c. Transacta ergo quadragesima die, uel plus in ægritudine antiqua, ut dictum est, & æger non amplius biberit decoctionẽ istam, uel si etiam biberit, incipiat paulatine

grossius diætari, id est, cum maiori quantitate carnis & panis, sumatq; ouum sorbile, & bibat uinum pauciferũ lymphatũ aqua cocta simplici, uel cum re aliqua cõfortatiua stomachi, ut sunt coriandri: & sic paulatine procedat in dies, & reuertat̃ ad naturalẽ usum. Dico hoc, quoniam si prima die post tempus potionis, comederet quantitatẽ magnã cibi & biberet, sequeretur omnino nocumentum propter duo, quorum unum est debilitas stomachi: secundum, quoniam natura non tolerat repentinas mutationes, ut dicit Aristoteles. Et quoniã hanc ægritudinẽ patientes non omnes semper manent in lecto, sed maior pars ambulat, & exercent̃: ideo dum bibunt istam decoctionem, si non possunt manere in lecto, stent in camera, ambulent, uel sedeant, postquam per tres horas sumpserint decoctionem: neq; oportet multum corpus laborando defatigare, sed ludant ludis domesticis, & gaudeant cum amicis, & in die non dormiant, nisi in nocte, propter dolores uel aliquid aliud. Conceditur etiam somnus diurnus ad prouocandũ sudorem, uel si haberet stomachum debilem, ad reuocandum calorem post cibũ: sed nõ sit nimis longus. Et hæc satis de regula uniuersali sint. Pustulæ uero, dolores, apostemata, & ulcera, ungantur circùm cum spuma dictæ decoctionis primæ, nam cõfortat membra, digerit materiam & rectificat: & spuma sit calida, unganturq; bis aut ter in die, etiam loca dolorosa, quoniam mitigat dolorẽ. Verum quia medicus est adiutor naturæ, si aliquando esset ulcus cum corrosione, alteratione, uel corruptione ossis, procurandũ est partem corruptã remouere cum instrumentis aptis, uidelicet scalpro uel fricatorio, si corruptio fuerit superficialis: uel cum melle rosato, si tantũmodo esset minima alteratio, uel denigratio. Hoc idem etiam in sanandis ulceribus fiat: nam sæpe ulcera sunt mala, non obedientia, plena grumis siue duriciebus albis: quæ dum corrumpuntur, partes sanas etiam corrumpunt: & ideo procurandum est de abstra

ctione

ctione & mũdificatione cum instrumẽtis siue unguentis appropriatis, de quibus dicam in cura particularium accidentiũ, ubi de ulceribus & unguentis dicam: & ibi docebo modũ succurrendi omnibus accidentibus, uidelicet pustulis, doloribus, apostematibus, & ulceribus: & scribam etiam de cõfortatione post curam perfectã. Expedit tamen post sanationẽ per quindecim aut plures dies cõfortare stomachum, puta cum aromatico rosato, uel aliquo alio. Postea sumere pilulas secundũ accidentia præterita, uel aliquod electuariũ cum syrupis digestiuis, sicut uidebitur prudẽti medico. Et sic ego multos sanaui per istam decoctionem, & ulcera aliquando cum unguentis in cura per unctionẽ dictis: & aliquando cum spuma curaui, imò post assumptionem dictæ decoctionis per aliquos dies, quoniã non fuerunt ex toto à materia ista mundati, cum unctionibus iuncturarũ processi, & sanati fuerunt: quare tuũ erit cum sis medicus, secundũ necessitatem omnia moderare cum temperamento & ratione. & hæc sufficiant.

LIBER QVARTVS.

Iuncturas morbo Neapolitano laborantium, unctionibus argentum uiuum recipientibus utiliter illiniri: inibiq; de calida eiusdem argenti uiui complexione, & argumentorum ex aduerso pugnantium subuersione. Caput I.

Is uisis tempus est ad aliam sanandi hanc ægritudinem uiam descendere, quæ etsi multis ingrata sit, profecto si cum obseruatione ipsa & cõditionibus dicẽdis quis utatur, est infallibilis, & securissima uia sanandi hanc ægritudinem: & est cum iuncturarum unctionibus, in quibus argentum uiuum ingreditur: quæ unctiones siue unguenta non sunt (ut multi credunt à modernis) ab Empericis inuenta, sed ab antiquis in suis libris scripta & laudata: & nos posteris secundũ etiam necessitatem aliquid addendo, & alia consimilia consi-

ciendo ipsa extollimus, & laudamus: quoniam uirtutes ipsorum sunt laudibus dignæ in ista ultima & praua ægritudine. Neque audiendi sunt qui dicunt, quia unguenta ista nocent neruis, ideo non debemus cum ipsis procedere, & ægros ungere. Et ratio est, quoniã ipsi fortè non sciunt, quod in unoquoq; medicamine hoc principale attendendũ est (quãdo medicamen melius non inuenitur) an sit maius nocumentũ iuuamento: quod si iuuamentũ fuerit maius, debemus procedere & applicare medicamen, factis aliquibus correctiuis & præparationibus ad expellendum nocumentum, ut faciunt boni doctores in istis unguentis, in quibus ponuntur correctoria, ut est axungia, theriaca in aliquo, & ponit sticados in aliquo, uel saluia, & in aliquo oleum de iunipero, uel de terebẽthina, & de alijs: quæ omnia habent confortare neruos, & extinguũt malignitatem argenti uiui: & ut breuiter me expediam, apud omnes medentes est, & recitatur à Gentili in expositione quinti canonis, quod medicina quarti gradus efficitur secundi gradus per admixtionem aliarum medicinarũ: remittitur etiam malignitas uenenosa per ea bezoar quę sunt sibi contraria. Quare cum à doctoribus diuersa ponantur ad extinguendam malignitatem argenti uiui, diuersa essent dicenda: sed cum hoc de facto rationales practicantes faciant, & succurendo, si aliquod uident nocumentum ab istis unctionibus, dicendũ est quod nullum est in applicando inconueniens: & quoniam maius est iuuamentum nocumento, ideo recte procedimus cum istis correctis, usq;quo aliquis melius inueniat. Alij uero aliter improbant istam uiam, & dicunt quod est fortis, & quod cum unctionibus istis sequuntur mala accidentia, & ulcerationes oris, & gingiuarum cum fluxu continuo materiæ phlegmaticæ die noctuq; fluentis, & ob hoc sequitur uigilia laboriosa & impotẽtia comedendi, dolores maxillarũ & alia, ut sunt fluxus uentris, paralysis &c. Quare cum ista sint accidentia & ægritudines

dines malæ, non debet medicus ſanitatem iſtius ægritudinis cum introductione iſtarum malarũ diſpoſitionũ quærere. Quibus facile reſpõdeo: dixit nanq; Hippoc. quod ad ultimas ægritudines ultimæ curationes ſunt potentes: & quamuis Gal. in cõmento de inedia expoſuerit, & in alio loco de phlebotomia, tamen Aphor. ampliatur ad alias ægritudines, utputa ad ulcera maligna. Cum corruptione oſſis procedimus cum cauterio actuali, quod eſt fortiſſimũ medicamẽ. Quis enim ignorat combuſtionem ignis eſſe corpori humano crudeliſſimum medicamen? tamen omnes medici iubẽt procedere cum ipſo: ita quod Princeps quarta primi laudes cauterij eminentes dixerit: inquit, Cauterium eſt medicamen ualde nobile &c. Et phlebotomia nónne fit per inciſionem uenarũ? & purgatio cum helleboro, ſcamonea, & elaterio, quæ nocent ſtomacho, & alijs membris: quare ſæpe medici etiam curant ægritudinẽ unam introducendo aliã, ut paralyſim introducendo febrem, & ſcabiem malam Auicenna, cum euacuatione uſque ad dyſenteriã: poſtea curant febrem, & ſanant dyſenteriam: & ſic non ſine ratione & autoritate faciunt qui utunt unctionibus, facta euacuatione ſenſibili, uel inſenſibili illius materiæ ultimæ in malignitate, ſanant poſtea ulcera oris, & ſuccurrũt alijs accidentibus, ſecundũ neceſſitatem: & cum iſte uel conſimilis proceſſus fiat in alijs, nõ eſt malum etiam in iſta facere. Sunt etiam dicentes, quod cura nõ eſt uera cum nõ ſit per contrariũ, imò cum iſtis unguẽtis fit potius cõſtipatio, & quædam ſtupefactio. Et dicũt autoritate Auic. ſecundo canonis, quod argentũ uiuũ eſt frigidæ cõplexionis: & ad confirmandũ adducunt exemplũ de ſimia mortua ex aſſumptione argẽti uiui, & de quodã aromatario qui credens potare aquam, caſu argentũ uiuũ bibit, & ſic mortuus eſt: quæ res non eſt credibilis cum ſit põderoſum, & nõ potabile &c. quibus apertis ſiue anatomizatis, inuenta fuit prope cor maxima quãtitas ſanguinis coagulati:

Part. 1. Aph. 6.

Lib. 5. Meth.

quare dicunt hoc à frigiditate argẽti uiui prouenire, & confirmant iſtam non eſſe ueram curam, quia ex eius fumo ſequuntur paralyſis, & aliæ ægritudines frigidæ &c. Quibus reſpondeo, dimiſſo Conciliatore differentia. cli. & dico quod argentum uiuum eſt calidæ & humidæ cõplexionis, ut bene notauit doctiſſimus Platearius, in ſuo de ſimplicib. lib. & hoc cõfirmant uerba Haliabbatis ſecũdo practicæ. c. xlviij. & Raſis tertio ad Almanſorem, cap. xxxiiij. & Galeni lib. quarto de ſimplicibus, dicentis quod uirtus argẽti uiui eſt calida: quamuis in nono de ſimplicibus fatetur ſe nullam habere experientiam. Hoc idem atteſtantur operationes & uirtutes, quas ponit Auic. dicens quod eſt ſubtiliatiuũ: nam ſubtiliatio fit à calido. Neq; propter hoc negarem diuerſitates partium: quoniam, ut dixi in tractatu de ligno Indico, autoritate Galeni, una medicina ſingularis cum ſit ex quatuor elementis, habet plures partes à quibus diuerſi procedunt effectus: neque uerba Auic. qui fuit tantus uir in medicina, ſuperficialiter intelligenda ſunt: quia cum dixit, quod eſt frigidæ complexionis, oportet intelligere quod operationes cauſant effectus frigiditatis, & ultimo infrigidat, & eſt reſoluendo ſpiritus, & ſic reddit corpus infrigidatum: quoniã ſua caliditate ſubtili, penetratiua & eliquatiua, habet diſſoluere membra quæ ſunt ſubiecta detinẽtia ſanguinẽ. Et ſic fit inanitio ſpirituũ, & mollificatio neruorũ, & ſanguis redditur frigidus: & ita coagulatus fuit in ſimia, & aromatario conceſſa potatione argenti uiui, quia ſua caliditate nimium reſoluit, & ſanguis ita exinanitus conuerſus ad principale membrum intentione naturæ quærebat fortè calefieri à corde: & ſic fuit facta ſuffocatio, fortè reſidui caloris, uel etiam à malignitate ſpecifica illius argenti, ad intra occidente, quare &c. Quod cum ſit ita, boni medici qui adminiſtrant argentum uiuum, in iſta cura corrigunt cum temperatis, ut eſt axungia, oleũ liliorũ cum ſaluia, olibano, myrrha, & theriaca, ut dictũ eſt, & pau-

latine

latine applicant iuncturis tantum, utputa ſemel in die: & quantitas eſt parua, quia duæ unciæ unguenti ſufficiunt ungere pro uice, in quibus non ſunt ʒ iij. argenti uiui. Ex his patet reſponſio breuis ad hoc: Nocumentum, ut dixi, eſt minimum quid, & iuuamentũ eſt maximum, & eius uirtus eſt calida, ut dictum eſt: & ideo non reprimit, ſed digerit, & euacuat cauſam ægritudinis ſenſibiliter ſæpe, ut apparet, & aliquando inſenſibiliter, quæ cauſa eſt materia illa uiſcoſa. Quod ſi à medicamine iſto aliquod nocumentũ imprimitur, natura & medicus prudens corrigit, & confortat membra &c. Et ad omnes iſtas rationes adde, quod nõ ſemper res quæ nocent corpori ſiue membro ſano, nocent etiam ægro, ut quotidiana experientia teſtatur in febrientibus, & in ægritudine particulari: uerbi gratia, eryſipelatibus conferunt, quæ ſunt notabiliter frigida, & ſanant: tamen frigida nocent, & deducunt corpus ſanum, & membrum extra temperamentum proprium. Quare applicando dico, quod ſi argentum uiuum nocet corporibus ſanis, uel neruis nocumento magno, nõ tamen nocet quando ſunt infecti infectione iſta. Et ſi aliquãdo noceat, magis & magnifice iuuat, & nocumenta ſunt corrigibilia, ut experientia patet: multaq; alia poſſem adducere de cauſis compoſitionis medicinæ, ſed quia ſunt nota, medicis dimitto: & ſummatim reuertendo dico: Si quis habuerit ægrum patientem morbum iſtum, ſiue nouum, ſiue antiquum, ſecurè procedat cum unctionibus infra dicendis, obſeruato regimine infra ſcribẽdo, & dicto in ſex rebus non naturalibus.

De modo adminiſtrandarum unctionum in quacunq; morbi Neapolitani diſpoſitione, & qua uti diæta debent qui per unctiones ſanantur. *Caput* II.

IN primis corpus cum medicationibus conuenientibus euacuare oportet, utputa, ſi ægritudo eſt noua, & æger multas habuerit puſtulas, & paucos dolores, digeratur materia: uerbi gratia, cum ſyrupo de endi

uia, de lupulis, & de fumoterræ: & aquæ cum quibus lymphentur sint aquæ endiuiæ, scabiosæ, lupulorũ uel solatri, aut cum alijs dictis. Sed si ægritudo fuerit antiqua cum doloribus, apostematibus, siue ulceribus, digeratur cum syrupo, uerbi gratia, de fumoterræ, de sticados, melle rosato, ana ℥.s. uel cum alijs syrupis iam dictis, & lymphentur cum aquis fumiterræ, iuæ, andacochæ, ana ℥.i. uel cũ decoctione epithymi Mesue, uel cũ decoctione nostra, uel senę, & sic digeratur per aliquos dies, puta quinq; uel sex, sumendo in aurora: & si quæratur reprimere materiam, propter dolorem capitis, sumat ipsum post cœnam, per tres aut quatuor horas. Et facta aliquali digestione, purgetur pharmaco lenitiuo cum aliquali electione ad materiã dominantem, ut in ægritudine noua cum electuario lenitiuo, de sebesten, ana ʒ.vi. cõfectione Hamech ʒ.ij. uel plus, secundũ necessitatem infirmi, & fiat bolus cum zuccaro, uel potio cum aquis dictis, uel cum decoctionibus. Aut dentur pilulæ de fumoterræ, & aggregatiuæ ana ℈.ij.s. uel minus secundũ indigentiam, & fiant quinq;: quæ euacuationes sumãtur in aurora, nisi sit aliqua particularis intentio, aut aliquod impediens, ut febris principiũ, uel aliud quid: & in tali casu eligant horã magis quietam, & cibus sit ad minus per quinq; horas pòst, tam in digestione, quàm in euacutione, & semper adde & minue, secundũ diuersitatẽ ægritudinis in accidentibus & complicationibus &c. quod si ægritudo fuerit antiqua cum doloribus & reliquis, euacuabis cum aliquo ex dictis, puta lenitiuo, addito electuario de psyllio Mõtagnanæ, uel agarico præparato, & de alijs, quorũ uirtutes dictæ sunt. Et facta prima euacuatione, si æger est fortis cum alijs conditionibus in cap. de phlebotomia dictis, phlebotoma eum à uena basilica quantitate conuenienti in mane, nisi sit aliqua res impediẽs: factaq; phlebotomia, iterum digerendo cum syrupis appropriatis procede, & iterũ cum pharmaco benedicto euacua quod sit electiuum:

ctiuum: & si fuerint pustulæ, appone uentosas scarifi=
catas sup spatulas, nates, & alia membra, ubi plus sunt
de pustulis, & reitera ipsas bis uel ter, secundũ necessita
tem, & iudicium ex plenitudine sumptum, & etiam ex
multitudine pustularũ, interponaturq; inter unam &
aliam applicationem spacium quatuor aut quinq; die=
rum, & sumat quotidie digestiuum, uacuantiaq; reite=
rentur, siue sint potiones, siue pilulæ. Et facta diligenti
ac canonica euacuatione minoratiua, residuũ materiæ
remanentis digeratur unctionibus infrà scribendis, ut
natura adiuta residuũ possit per os, ut in pluribus con=
tingit, uel per secessum, aut per sudorẽ, uel per urinã,
aut insensibilem euacuationem, ut sæpe uidi, euacuare
& expellere. Et hoc fiat, uerbi gratia, cum isto unguen=
to, uel cum alio eiusdem uirtutis. R. axungiæ porcinæ li
bram unam, pinguedinis gallinæ ℥.iij. olei liliorum al=
borum ℥.i.s. mercurij ℥.v. & plus si liceat, olibani, ma=
sticis puluerizati, saluię, silicados, lithargyrij, cerusæ, ana
℥.i. aquæ uitæ ℥.ij. misce, & in mortario lapideo tandiu
ducantur, donec ad perfectam formam unguenti red=
dantur &c. Modus autem istius compositionis est iste:
in primis axungiæ non sint ad ignem colatæ, sed à pel=
liculis emundatæ, & per setonem eo modo, quo extra=
hitur flos cassiæ colatæ: postea pone argentũ uiuum in
mortario cum dicta axungia, & ducãtur pistillo: & iste
erit modus mortificandi & incorporandi argentum ui=
uum: quibus incorporatis addãtur aliæ res successiuæ,
tamen semper cum pistillo ducantur usq; ad perfectã
omnium rerum dictarum admixtionem, & dimittatur
per duos dies ut fermentetur, uel plus: postea æger, ut
suprà purgationib. purgatus, ungat seipsum, si potest,
iuncturas post cœnã per tres horas, & sit ante focum,
& cubile sit clausum, & incipiat à iuncturis cauillarum
pedum, postea ad genua deueniat, deinde cubitos un=
gat, postremo iuncturas manus, & si uirtus est fortis,
& ægritudo magna, unge etiam iuncturas inguinũ, an

charum, & ſpatularum. Poſtea iuncturæ ſtupa canapi-
na calida cooperiantur, & ligentur, & ingrediatur le-
ctum, cooperiaturq; coopertorijs, ut ſudet per duas ho
ras: quod ſi per ſudorem nimiã patiatur laſſitudinẽ, de-
tur cyathus unus brodij gallinæ, uel carnis. Et ſic pro-
cedere oportet ungendo ſingulo ſero, uſquequo medi
cus uideat exitum manifeſtum materiæ phlegmaticæ
ab ore, aut fluxum uentris notabilem, uel ſudorem, &
ultra hoc uideat diminutionem manifeſtam, ſi ſunt pu
ſtulæ, puſtularum, & ſi ſunt dolores, dolorum mitiga-
tionem, & ſi apoſtemata, ſolutionem ipſorum, & ſi ul-
cera, digeſtionem, mundificationem, incarnationem,
& cicatrizationem. Et quoniã ſæpiſſime accidit quod
in aliquibus nullus apparet fluxus materiei ab ore, ne-
que aliqua alteratio, ſiue dolor dentiũ, neq; fluxus uen-
tris, aut aliquod ſignũ euacuationis manifeſtæ, & cum
ægritudo ſit materialis, quæ ſanatur euacuatione, dubi
tat medicus, neſciens ſe regulare, de quantitate unctio-
nis, & dierum numero ſufficientiũ in cura, ut ſanetur
æger. Et ego multos annos in hac ambiguitate fui, uſ-
quequo cognoui, quod in iſtis ungẽdo procedere opor
tet uſq; ad aliquam manifeſtam puſtularum, dolorum,
apoſtematum, & ulcerum ſanationem, & uirtutis tole
rantiam, quod ſignum eſt mihi infallibile, & maxime
quando accidunt laſſitudines quædã ſincopales ultra
dicta, & tunc eſt indicium quod uirtus agit circa mate-
riam, ſiue humiditatem bonam, in qua reſeruatur calor
naturalis: & cũ hoc apparet, dimitte unctiones, & con-
forta uirtutem cum cibarijs bonis, ut ſunt oua ſorbilia,
contuſiones ex pulpis gallinarũ & caponum, & cum
uino aromatico, & alijs bene nutrientibus. Et ita ego
multos ſanaui, qui ab alijs ſæpe inuncti non fuerunt ſa
nati, eo quia nullam alterationem oris cum euacuatio-
ne faciebant unctiones, & medentes nõ cognoſcebant
quando perfecta erat eradicatio materiæ, quæ quoniã
non fuerunt eradicatæ, iterum morbus deterior priore
recidi-

recidiuabat. Sed ut melius me intelligas, ego procedo in istis cum unctione usq; ad lassitudinẽ dictam semisincopalem. Sanaui inter alios unum, qui à pluribus iam inunctus & nõ sanatus, quem per trigintaseptem dies inunxi, & liberatus fuit, & nunquam recidiuauit, & ab omnibus incurabilis dicebat, & sanus adhuc uiuit: & multos alios, ut dixi: signumq; fuit mihi ut suprà: quare dico, quod nõ potest dari certa regula de numero dierum unctionis, & quantitate: sed oportet procedere secundũ fortitudinem patientis cum iudicio bono extimatiuo. Sanaui etiã multos marasmode laborantes debiles cum ægritudine magna per plures reiterationes unctionum, & ungebam per quatuor dies omni sero: deinde dimittebam ipsos per hebdomadam quiescere, sine unctione, sed cum bono regimine: & postea iterũ ungebã per quinq; dies in sero secundũ eorũ uirtutes, iterũq; dimittebã quiescere, & sic sanitati restituti sunt. Vidi etiam in aliquo uirtutem debilem, & dolores acutissimos indigentes maxima unctione, & feci ungere per quatuor aut quinq; dies usquequo dolores fuerunt mitigati: postea per mẽsem feci ipsum bonis cibarijs nutrire, & iterũ inunxi per multos dies, & sic sanatus fuit. Tua ergo erit secundũ ægritudinem & uirtutem cum istis mitius & fortius ungere cõtinue & interpolatim: caue tamen ne pectoris partes inungas, ut docet Auic. &c. Aeger tamen cum bonis cibarijs semper nutriat, & cum uino optimo, non uinoso, sed mediocri: & inter prandium & cœnam da scutellam brodij, semperq; attende uirtuti, & ægritudini, & omnino à uentis & ab aëre frigido abstineat, læteturq;. Et quando apparet fluxus humiditatum manifestus ab ore, cum dolore & inflatione gingiuarũ, & accidentia morbi remittãtur, ab unctionibus cessare oportet, & remouere stupas cooperientes iuncturas. Neque lauare oportet loca inuncta, nisi ex nimia resolutione ægro sincopis accidat, aut subita & magna oris ulceratio præfocatiua, uel fluxus

uentris cum excoriatione inteſtinorũ, uel aliquod aliud accidens: quæ ſi accidunt, remoue unguenta & ſtupas: quod ſi ex toto quæris abſcindere uirtutẽ unguenti ne ultra procedat, iuncturas lauabis, locaq; alia ubi cum dicto unguento illinitum fuit, cum uino calido ſimplici, uel in quo camomillam ebullire feceris, aut ſaluiam, & de alijs, ſuccurreq; accidentibus cum remedijs infra ſcribendis.

De diuerſis unguentis, eorumq; uario & mirabili effectu. Cap. III.

QVoniam multa ſunt unguẽta & diuerſificata ſecundum diuerſitatem accidentiũ in tali ægritudine, ideo utiliſſimũ fore iudico, ſi deſcriptiones diuerſas dictorum unguẽtorum, cum ſuis uirtutibus ſcripſero. Et primo unguentũ ad ſcabiem domini Meſue in ſuo antidotario diſt. xi. quod confert ſcabiei malæ, & puſtulis morbi Neapolitani, ſi factis purgationibus, & alijs dictis, iuncturæ ungantur cum ipſo in ſero per aliquos dies, uſquequo appareant ſigna dicta, quo aliquando uſus ſum: cuius hæc eſt deſcriptio: R. olei laurini ℥. iij. thuris albi, ceræ mundæ, ana ʒ. ij. argẽti uiui mortificati cum ſaluia ℥. ij. pinguedinis porcinæ mundæ à ſuis pelliculis ℥. v. ſalis cõmunis ʒ. viij. ſucci plantaginis & fumiterræ ad libitum, miſce, & fiat unguentũ. Aliud unguentum quod dicitur Saracenicum, in cura ſcabiei, in additionibus D. Arnaldi de uilla noua deſcriptum, & ab antiquis etiam: ſanat ſcabiem malam, & cancrum, & puſtulas morbi Neapolitani, dolores, apoſtemata, & ulcera mala, educendo materiam phlegmaticam, & curat etiam leproſos in principio, & confert artheticæ & podagræ à materia groſſa: deſcriptio cuius eſt iſta: R. ſalis nitri, ſalis puri, plumbi uſti, euforbij, ana drach. ij. panici marini, chamæleontę, ana drac. i. s. ceruſæ, argẽti uiui, ana unc. ij. confice cum axungia ueteri & oleo antiquo, & poſt addatur puluis, & fiat unguentũ, & modus adminiſtrationis eſt iſte: Sedeat infirmus inter duos ignes, & inungatur à genibus inferius uſq; ad pedes, & ſupra

ſupra genua per tres digitos, caueatq; à frigiditate. Et cum phlegma incipit diſſolui, recedat ab unctionibus: & ſi per multa ſputa & nimiam aſperitatẽ dolor in gutture & ore ſentiat, lauetur os aqua ordei ſimplici, & in proceſſu cũ melle roſato. Poſſem & multa alia unguenta in libris antiquorum ſcripta, hic etiam ſcribere, ſed ne ſermo nimis ſit tædioſus, uide Auic. & alios antiquos, de cura ſcabiei, quoniã multa ponũtur ab ipſis; iſta duo ab antiquis ſcripta poſui, ut ſint teſtimonia dictorum meorum, uidelicet quod iſta unguenta nõ ſunt ab Empericis inuẽta, ut multi credunt, neq; modũ uſus ipſius, cum ex dictis iam apparet etiã quod antiqui anteq; ad nos ueniſſet morbus iſte, ungebant etiã ipſi iuncturas, ex qua unctione fluxus materiæ phlegmaticæ euenie- bat &c. Sed quoniã unuſquiſq; ſua libẽtius utit̃ ſenten tia, ideo multa unguẽta à modernis uſitata & probata, infra notare decreui. Et primũ unguentũ meum à me benedictũ completũ dictum in iſta ægritudine, quod ſa nat puſtulas morbi Neapolitani, doloresq;, & reſoluit apoſtemata dura, ſiue grumas, & ulcera mala ſanat, ſi cum eo ungãtur iuncturæ, & puſtulæ, ut dictum eſt ſu- prà. Eſto tamen memor documentorũ Auic. de ſcabie & pruritu, quod elongare oportet à partibus pectoris & ſtomachi: cuius unguẽti iſta eſt deſcriptio: R. axun- giæ porcinæ mundatæ à ſuis pelliculis, & per ſetonem colatæ ſine igne ℔. ij. argenti uiui ℔. i. lithargyri unc. iij. ceruſæ unc. ij. olibani unc. i. miſce, & fiat unguentum in mortario lapideo, extinguendo in primis argentum uiuũ cum axũgia, poſtea adde res alias, ſemper piſtillo bene agitando. Et apud me iſtud unguentum eſt mate- ria ſiue inſtrumentum omniũ curationum, quoniam ego addo in ipſam diuerſas medicinas, ſecundum diuer ſitatem ægritudinis & patientis: uerbi gratia, ſi ægritu- do eſt cum tumoribus, addo pinguedinem gallinæ, uel anatis, uel anſeris, & quãdoq; omnes, & aliquãdo unã, quoniã iſtæ multum ſua caliditate & humiditate reſol-

uunt duritiem, cõfortantq; membra læsa, & aliquando si cum tumoribus sunt dolores, in ipso oleũ de lilio, de terebenthina, de bacci lauri pono, & unum ipsorũ uel plura, ponoq; ad uigorandã eius operationem, ubi uirtus est fortis, & ægritudo maligna: si patiens nõ alteratur à leui unctione, plus de quantitate argẽti uiui, & addo aquam uitæ, & saluiam, & sticados, & theriacã pro correctiuis, siue myrrham & mastichem: & in istis procedo, ungendo etiam iuncturas spatularũ & ancharum, ut dixi suprà. Quod si timeo excoriationem à uirtute calida corrosiua argenti uiui, corrigo unguentum cum lithargyrio & cerusa, ut in unguentorũ receptis uidere est. Et sic cum isto unguento diuersis rebus in ipsis additis, diuersificatam in suis accidentibus ægritudinem remoueo. Aliud unguentum sanans morbum Neapolitanum cum pustulis, doloribus, apostematibus, & ulceribus, iuncturis in fero inũctis cum ipso ad ignem. R. axungiæ porcinæ ℥.vi. anatis ℥.iij. gallinæ ℥.ij. olei rosati, liliorum alborũ ana ℥.i. argẽti uiui ℥.v. lithargyrij aurei, olibani, ana ℥.i. myrrhæ ℥.s. misce, & fiat unguentum in mortario lapideo, ut dictũ est suprà. Aliud eiusdem uirtutis, & intentionis. R. axungiæ porcinæ ℔.i.s. mercurij unc.viij. olei laurini unc.i. theriacæ, mastichis, olibani, myrrhæ, ana unc.i. succi fumiterræ ℥.i.s. lithargyrij, cerusæ, ana unc.ij. misce, & fiat unguentũ in mortario ut suprà. Aliud eiusdem uirtutis. R. axungiæ porcinæ unc.iiij. argẽti uiui unc.ij. olibani unc.i. olei de iunipero unc.x. aquæ uitæ unc.i. misce, & fiat unguentũ in mortario ut suprà. Aliud eiusdem uirtutis. R. axungiæ porcinæ, gallinæ, anatis ana unc.vi. olei liliorum alborum, rosati, laurini, ana unc.i. olibani, mastichis, myrrhæ, ana unc.s. saluiæ, sticados, ana drach. vij. lithagyrij aurei unc.i. unguenti dialtheæ unc.ij. aquæ uitæ unc.i. misce, & fiat unguentum ut suprà: & istud ualet quando tumores sunt antiqui schirrosi: ultra unctionem iunctiurarum tumores etiam ungas, & stupa cooperias canopina,

nabina, ut dictum est. Aliud eiusdem uirtutis pro diuitibus & delicatis, & est odoriferũ. R. macis, cinnamomi, gariofilorum ana ʒ. iiij. gran. paradisi ʒ. iij. rosarum rubearum, corticum citri, ana ʒ. v. nucis muscatæ numero iij. contundantur omnia, & infundãtur in aqua fontis per diem naturalẽ, postea in dicta aqua pone libras v. axungiæ porcinæ recentis, & bulliant ad cõsumptionem aquæ, & coletur: deinde R. dictæ axungiæ sic bullitæ libras ij. argenti uiui ℥. vij. olibani ℥. ij. cerusæ, lithargyrij ana ℥. i. s. sticados, myrrhæ, ana ℥. s. & in fine musci resoluti in oleo rosato ℈. s. & semper miscendo fiat unguentum in mortario ut suprà, & est odoriferũ & mirabilis operationis. Possem multa plura & non probata hic scribere unguenta, quæ omnia essent eiusdem intentionis cum istis: ne ergo sermo noster nugatorius sit, dimittantur: medentesq; admoneo quod tota materia essentialis est axungia, & argentum uiuum. Quare ex dictis, alia secundũ diuersas intentiones, cum ista tamen basi, componere possunt: uirtutes quorum cum sint mirabiles, & supra alia medicamina in hac ægritudine nobiliores, nõ ipsas silentio pertrãsire decreui, sed quantum in me erit, & quantum ingenium meum ualebit cum ueritate eas extollere intendo, cum per talia unguenta gentem plurimam, quæ ab alijs medicaminibus nunquam sanati fuerint, & postea ab unctione unguentorum dictorũ sanitati restitutam uiderim &c. Sunt igitur unguẽta ex argento uiuo, axungia & alijs facta: medicina digestiua materiæ phlegmaticæ diuersæ admixtionis per totum corpus sparsæ & inobedientis, multis medicaminibus: estq; euacuationi sensibili uel insensibili præparatiua, malignitatis dictorum humorum contemperatiua, dolorũ mitigatiua, pustularum sanatiua, apostematum resolutiua, & maturatiua, ulcerum saniei digestiua & mundificatiua, & malarũ qualitatum remotiua, aliorumq; quouis modo accidẽtium correctiua, & ultimo omnium solutionũ continuitatis

ſanatiua: eſt etiam uirtutis expulſiuæ expergefactiua, & uigoratiua, ita quod iſto adminiculo, ab omnibus ſuperfluitatibus inobedientibus membra mundantur, & ad naturalem diſpoſitionem redeunt, ſanguinemq; ab iſto humore infectum mundificant per totum corpus, & materiam ad conuenientes regiones expulſioni dirigunt, indeſinẽter euacuando, die noctuq; per uias notas naturæ, donec totum corpus mundum ab iſtis ſuperfluitatibus remaneat, quæ ab antiquorum euacuationum uirtute minime euacuabantur: confortatq; uirtutem interiorum membrorum deſeruientium naturalibus, & alijs quæ membra exteriora illinita communicant uirtutem linimenti cæteris membris. Et hoc clariſſime apparet ab effectibus, cum per extremitatũ illinitiones conſolidantur ulcera, reſoluuntur apoſtemata & reliqua, in quacunq; parte intrinſeca uel extrinſeca, ut experientia teſtatur. Nam iſta illinitione natura adiuta, phlegma per os indigeſtum ſucceſſiue expellit, & etiam per ſeceſſum diuerſas materias corruptas, in quibus mala uirtus hepatis & ſtomachi elaborauit: per ſudorẽ quoq; ſuperfluitates quartæ digeſtionis, & aquoſitatem ſanguinis per urinam, & ultimo per inſenſibilem euacuationem quæ in uaporem cõuertuntur expellit. Quare niſi calor ſiue anima ab ipſo actuaretur, uel inciteretur, aut coadiuuaretur, nõ tot & tanta bona ſequi uideremus. Sileant ergo qui corpus ſiue uirtutes exterminari ab iſtis dicunt, experientia & ratione cõtra ipſos pugnantibus. Quod ſi multos ſe errores uidiſſe dicant, ignauorum applicationem malam & irregulatam accuſent, & non medicaminum, cui nulla in tali morbo ſibi æquatur, cuius baſis eſt argentũ uiuum: ſua correctoria ſunt axungia, myrrha, ſaluia, & alia &c. operatio cuius eſt per caliditatem ſuam, quæ materiam phlegmaticam puram uel mixtã, in quacunq; parte corporis diſſoluit, & ideo curat ſcabiẽ malã & ulcera maligna, ut dicit Serapio de ſimplicibus, & Auic. & Haliab. & Raſis xxxvij.

continẽtis, cap. lxxv. & omnes antiqui, ut omnia unico uerbo complectar. Modum autẽ operationis istius unguenti si quis scire desiderat, hoc facile est soluere cum colligantiæ corporis declaratione. Nam cor per arterias, hepar per uenas, cerebrum per neruos toti corpori colligantur: & ex putredine aliquando in ulcere, ubi arteriæ ramus notabilis fuerit, causatur sincopis, & in neruo spasmus, & in uena febris, si fuerit quantitas magna, aut prohibita transpiratio: sic etiam uirtus calefactoria unguẽti quæ maxime actiua est inũctis iunctuis. Et cum ibi arteriæ, uenæ, & nerui manifestentur, & loca sint excarnata, uirtus transit ad alia membra: & sic in ista ægritudine curãtur diuersa (ut ego uidi) accidentia, ut est tussis ex ulcere Neapolitano, in pectore, & squinantia, & tenasmon, & aliæ intrinsecæ passiones ab eadem causa. Sanat sæpe illinitio ista etiam alias frigidas & chronicas ægritudines, quæ pendent à materia phlegmatica à prædominio, ut sunt dolores podagrici, nodi, & cutaneæ infectiones, & alia: quæ omnia si diligenter applicaueris, cõsiderata ægritudine, ut suprà dictum est, & uirtute, domino auxiliante sanitatem introduces. Caue ne te diminuta illinitio decipiat, uel nimia audacia in hoc, & nõ solum in ungendo, sed in regimine aëris, & cibi, & potus, & alijs: quoniam ex hoc multi non fuerunt sanati, sed post aliquos dies in eandem ægritudinẽ reuersi sunt, & etiam in deteriorẽ &c. Hæc satis de unguentorũ uirtute. Sed notare oportet quod in aliquibus possumus loco unctionis cõponere unguentũ in forma solida in modum ceroti, & extendere super corium, aut pannum lini, & ponere super iuncturas omnes, & de tertio in tertiũ diem ipsa cerota remouere, & perseuerare usquequo appareat alteratio gingiuarũ, uel aliquod ex signis dictis in superioribus, & tunc erunt remouenda, ut dictum est suprà. Quod si oris ulcera, & fluxus phlegmatis ab ore, uel alia accidentia uideris, remedijs iam dictis corrigere oportet.

Et finaliter omnia quæ dicta sunt ante unctionem digerendo & euacuando obseruabis tam cum pharmaco, quàm cum phlebotomia & uentosis, regimineq; toto rerum nõ naturaliũ. Modus compositionis istius ceroti est iste: R. pinguedinis porcinæ mundatæ à pelliculis, & per setonem colatæ, mercurij, ana ℔.i.s. incorporentur cum pistillo in mortario, & in fine adde thuris puluerizati ℥.vi. lithargyrij, cerusæ, ana ℥.i.s. & fiat in mortario dicto perfecta incorporatio: deinde R. serapini, armoniaci, ana ℥.viij. resinæ pini, terebinthinæ, ana ℥.x. dissoluantur in aqua ardenti ad ignem ut fiat solidum, ita quod ponendo unam guttam super lapidem frigidum sit frangibilis: & tunc dimitte infrigidari semper agitando cum baculo, & cum fuerit usq; ad tepiditatẽ, adde suprascriptum unguentum factum in mortario, semper agitando donec perfecte incorporẽtur: postea adde in fine ceræ albæ ℥.iiij. paulatine & semper agitando, & in fine pulueriza lithargyrij desuper ʒ.v. bene agitando & incorporando, & fac magdaleones & serua. Quod cerotum ualet ad remouendum dolores, & resoluendum apostemata dura, sanatq; ulcera maligna duritiẽ resoluendo, incarnat & sigillat maxime si à principio positum fuerit, præmissis euacuationibus. Et si super iuncturas omnes applicatum fuerit, ut dictum est, liberat totaliter ab ista ægritudine cum est noua, & in corpore bonæ complexionis, & est medicina satis secura & delectabilis respectu unctionis. Quod si fortius cerotum cõponere uolueris, adde plus de mercurio, puta usq; ad libras duas, & plus, secundũ necessitatẽ, & reliqua sint ut dictũ est &c. Sed unde discessi reuertẽdi tempus est, ut tibi completã huius morbi curam tradam.

De modo succurrendi oris, gingiuarum, & aliarum partium guttuaris alterationibus, alijsq; accidẽtibus malis ab unctionibus factis.

Caput IIII.

DIxi suprà quod ex illinitione unguentorũ diuersa sequũtur accidentia, quæ sunt ista: ulcera oris,

&

& gingiuarum excarnatio, cum caliditate maxima, & inflatione gutturis, linguæ, & fauciũ, ſincopis cum totius corporis laxitudine, fluxus uentris aliquando diarius, & aliquando cum excoriatione, ſiue dyſentericus, uentris etiam nimia conſtipatio, nimia uigilia, cum dolore maximo illarum partium, quæ omnia indigent cura & moderatione quando ſuperfluunt. Igitur ſi ex nimio fluxu materiæ phlegmaticæ, uel à caliditate medicaminis oris ſequatur excoriatio, cum dolore & inflatione, uel ſine inflatione, in primis fiat aſſidua oris ablutio, & gargarizatio cum aqua ordei mediocris ebullitionis, & hoc per aliqs dies. Quod ſi fuerint ulcerationes cum caliditate, adde in dicta aqua parum diamoronis, uel ſyrupi uiolati, quoniã extinguit caliditatem, & confortat locum: deinde procede cum aqua plantaginis & melle roſato, ad mundificandum hoc modo: ℞. aquæ plantaginis ℔. i. mellis roſati ℥. iij. miſce, & cum iſto ſæpe os abluatur. Potes etiam à principio & in augmento facere gargariſmum. ℞. aquarum bugloſſæ, uiolarum, endiuiæ, ana ℥. x. zuccari fini ℥. xv. fiat in modum iuleb ad ignem, cum quo ſæpe lauetur os. Quod ſi in aliquo tempore maximus fuerit dolor, utere lacte ouino uel uaccino, ab eo non extracto butyro, & duc ipſum per os calidum: quod ſi hoc nõ remouet dolorem, unge genas & partes circunſtantes cum oleo roſato, & da butyrum patienti ut teneat in ore, quoniam mirabiliter mitigat dolorẽ: quod ſi hoc non remouet, & materiæ fluant inceſſanter, ita quod dolor ſit magnus, appone uẽtoſas ſuper ſpatulas & nates ad diuertendum, & ſint in primis ſine ſcarificatione: poſtea, ſi opus fuerit, cum ſcarificatione: quod ſi dolor augeatur, & magnã oris timueris apoſtemationem, & fortè eſthiomenationẽ, ut uidi in quodã quem Empericus quidã inunxerat, qui ad miſerabilẽ totius faciei putrefactionẽ, & ultimo ad mortem deuenit: ne ergo iſta tibi accidant, phlebotomiã adminiſtrabis ſi uirtus eſt cõſtans ad diuertendum, & hoc à ue

na cephalica, uel mediana, uel à basilica si hoc à nimia caliditate hepatis prouenire cognoueris: & sic remoto dolore, in fine in dictis gargarismis adde mel rosatum, ut dictum est, cum aqua plantaginis, quoniam oris ulcera mundificat & sanat. Possumus etiã cum ista decoctione lauare os. R. ordei, rosarũ, myrtillorum, saluiæ, ana manip. i. decoquantur in uino stiptico &c. uel etiam cum uino solo, quoniam confert & sanat ulcera &c. Sed quia dictum fuit de phlebotomia, nota quod quando uirtus tolerat & reliqua, factis inunctionibus per aliquot dies, ita inter ungendum antequam fluxus manifestus ex ore appareat, utilissimum est phlebotomare uenam medianam dextri brachij, uel basilicam, secundum diuersas intentiones, ut dictum est in cap. de phlebotomia. Quod si uideris lassitudinem, & debilitatem, succurre cum brodijs caponũ, ouis sorbilibus contusis, & uino aromatico: quod si sincopis sequatur, auxiliaberis cum bonis odoribus, ut est uinum maluaticum cum aqua rosata, & acetum rosatum, & cum epithematibus cordis, uel cum mixtura cordiali & alijs dicendis: uerbi gratia: R. zuccari buglossati, boraginati, uiolati, rosati, ana ℥. i. fragmentorũ de gemmis ʒ. i. s. margaritarum præparatarum ʒ. s. fiat mixtura cum syrupo de pomis, de qua detur sæpe patienti: & aliquando dabis uinum maluaticum ad bibendum, quoniã mirabiliter succurrit uirtuti resolutæ. Sed epithema pro cordis cõfortatione sit tale: R. aquæ buglossæ, melissæ, boraginis, ana ℥. v. rosatæ ℥. iij. uini maluatici ℥. i. s. specierũ cordialium temperatarum ʒ. ij. croci ℈. s. misce, & cum panno infuso sub mamilla sinistra sæpe applicabis. Et nota quod boni odores citò restaurant uirtutem, ut dicit Galenus commẽto undecimo secundi Aphorismorũ autoritate Hippocratis. Quod si fluxus fuerit, cum quo sit nimia uirtutis resolutio, ægro dabis cibaria dicta boni nutrimenti, & uinum rubeum lymphatũ cum aqua chalybeata, uel decoctionis berberorũ, uel seminis sumach:

&

& si fuerit cum excoriatione, inunge uentrẽ cum oleo rosato siue myrtino, & utere clysteri lauatiuo, in quo utilissimum est ponere oleũ rosatum & pinguedinẽ hirci, uel capræ, & ouũ cum suo albumine, & brodiũ intestinorum castrati &c. Non est tamen stringendus fluxus si uirtus ipsum tolerat, quoniã liberat ab ista ægritudine absq; dubio. Si nimia uero uigilia ægrũ infestat, succurrendum est, maxime si resoluit uirtutem, cum unctione temporũ cum unguento populeonis, uel cum odoramentis, ut est odorare spongiam madefactã in decoctione papaueris albi & nigri, corticum mandragoræ, seminis iusquiami, nenupharis, uiolarũ, lactucæ, & de consimilibus in aqua dulci. Quod si ista non cõferunt, possumus cum emulsione seminũ papaueris albi in panatella, siue in suo cõtuso imposita succurrere, uel cum uncia una, uel una & semis syrupi de papauere, & ℥.ij. aquæ lactucæ post cœnam per duas horas. Et quia ob dentium & gingiuarũ dolorem, & inflationẽ oris non possunt ægri comedere masticando, ideo ciba ipsos panatella, siue cõtuso, uel iusculo ordeaceo, uel ouo in brodio agitato, & uino boni odoris, aut cum æquiualentibus. Constipatio uero uentris si acciderit, clysteri communi ei aliquãdo succurres, addita ℥.i.s. benedictæ, uel hieræ picræ: uel purgetur cum pilulis appropriatis, ut sunt de fumoterræ, fœtidis, aggregatiuis, & de hermodactylis, uel cum electuarijs secundũ quod diuersa exigit dispositio. Laudo etiã multum inter ungendũ accipere aliquã euacuationẽ appropriatã, quoniã non sinit materias omnes currere per os, & ego sæpe hoc pacto procedo, & mihi bene succedit. Sũt quidã aliter in hoc sentiẽtes, uidelicet, quod nõ oportet inter ungendũ euacuare: sed male: medicus enim est adiutor naturæ, & ipsi ubi necessariũ est succurrere debet, ut in multa repletione minorãdo &c. Quod si uis oris fluxui nimio infestanti singulare præsidiũ apponere, pilulæ cochiæ post cœnã sumptę hoc suauiter faciũt. Et sic procedere opor

ret uſq; ad oris perfectã ſanitatem, nõ mutatis linteaminibus tamen, & camiſia, uſq;quo ſignũ aliq̃d materiæ ægritudinem cauſantis euacuationis notabilis apparuerit, quæ ex dictis nota ſunt: Relinquitur modo ne æger ita ſanitati reſtitutus in recidiuam redeat, & hoc eſt tota uirtus medici, & ut Virgiliano utar ſermone, Hoc opus hic labor eſt. Ideo diligenter attende, quoniã ſunt quidam qui omnes indifferenter poſt unctionem cum balneo, in quo præcipiunt ægro ſudare, totum corpus lauant: quæ res, ut oſtendam, eſt penitus contra intentionem dictæ curæ, quoniã per unctionem diriguntur humores, qui ſparſi per totum corpus natura regulare non poterat, ad uias proprias euacuationis, naturæ notas, ut dixi: quæ quidem euacuatio cum ſit ſucceſſiua, & cum accidentibus ſatis malis, reſoluit uirtutem propter ſpirituum inanitionem, ut dixi. Et balnei operationes ſunt in primis humores qui in profundo totius corporis conſiſtunt per totum corpus liquefacere, & reſiduum caloris ex euacuatione depopulati ſua caliditate reſoluere, aut ſpargere, qui poſtea ſunt minus potentes ad corporis operationẽ, teſtante Ariſt. qui dixit, quod uirtus unita eſt fortior ſeipſa diſperſa: & ſic ab eadem ægritudine iterum ad deteriorẽ deueniunt. Ego uero iſtis rationibus ductus, nullum poſt unctionem patienti balneum facio, ſed ipſum cum linteamine, ſiue ſudarijs abſtergere præcipio, & ſic non fit apertio poroſitatum, neque ſparſio, aut reſolutio uirtutis, ſiue ſpiritus debilis à qua ſæpe recidiua ſequitur.

De balneis Gal. lib. 10 therap.

An balnea artificialia uel naturalia morbum Neapolitanum patientibus cõferant, & de quibuſdam qui per diuerſa medicamina fuere ſanati. *Caput V.*

NOn ingrata hic cadit ſpeculatio, uidelicet, an balnea, termarum, uel artificialia, in iſta cura ſanent iſtam ægritudinem, uel aliquid cõferant. Cui dubio reſpondeo in primis, quod experiẽtia ſæpe hoc nobis notum fecit, paucos aut nullum ex toto per aſſumptionẽ

aquarum

aquarum, termarũ, aut per lauacrũ ſanitatem recepiſſe. Quod ſi aliqui per alicuius temporis ſpaciũ à balneis ſanati uiſi ſunt, non tamen diu permanſerunt, ſed de nouo in eandem ægritudinẽ, & etiam aliquando in deteriorem deuenerunt. Et ratio clariſſima huius non latet: quoniam termarũ aquæ non ſunt operatiuæ per unam qualitatẽ, aut duas, ſed quandoqꝫ per plures, & primæ & ſecundæ: nam ſulphureæ non carent nitroſitate, humiditate ratione aquæ, ſiccitate ratione terræ &c. Quare dico quod iſtæ uirtutes in termis nõ ſunt multũ actiuæ & diſſolutiuæ, imò imprimunt primo ſiccitatẽ, quæ huius curæ eſt contaria: deinde ſua caliditate debili, ſi agit, nõ ex toto diſſoluit: & ideo facta clauſura ab aqua, quando calor fortificatur, iterum ſparguntur materiæ, & ſic cauſant nouam ægritudinem deteriorem prima. Hoc idem dico de artificiali, cum aqua primo de ſe noceat neruis, & baſi huius materiæ, ut ſuprà. Adde etiã ut dictũ eſt quod uirtus reſoluitur à frequenti & longa mora in balneo: quare dico non conferre: quod ſi confert aliquod, eſt ſulphureum. Et multi ſulphuris uſu liberati ſunt, & maxime quidam amicus noſter, qui ex potu ſulphuris puluerizati bis in die tres aut quatuor drachmas pro uice ſumpſit ſerò & mane uidelicet, per multos menſes, tandem à doloribus & ulceribus cum grumis ab antiqua ægritudine liberatus fuit, ſine aliquo alio medicamine ulceribus appoſito. Scio etiã quoſdam qui ex diuturna potione decoctionis aloẽs, hoc modo liberati fuerunt: ℞. aloẽs boni unc. s. mellis unc. vi. aquæ fontis ſiue putei ℔. v. bulliãt bullitione bona ad ignem lentum, ſpumando ſemper, ita ut fiat quartæ partis conſumptio, & quantitas ſumenda pro uice ſit unc. vi. calida in aurora, & ſumatur ter in hebdomada. Scio etiam quod ex potu decoctionis abſinthij quotidiano per plures menſes alij euaſerũt. Etiam ex aſſumptione glutinis albotoim, ſiue olei abietis, multi ab iſta ægritudine cum doloribus, tumoribus, & ulceribus fuerunt liberati. Et

cum possibilitas sit res ampla, possibile est cum aliquo alio medicamine talem ægritudinem sanare: sed adhuc non inuentum uel non diuulgatum. Qui uero de cura per comestionem serpentum dixit, cum sine ratione & experimento hoc credit, nõ laudatur. De sanitate uero quæ ab intrinseco fit, nihil dico, cum mea sit intẽtio per medicinalia instrumenta quo pacto quis ab ista ægritudine euadere possit, docere. Ego plures uidi sine aliquo medicamine liberatos: & hoc nõ repugnat, cum uirtus teste Galeno, sit cõtraria morbo tanquam antagonista. Virtute igitur existẽte forti, & ægritudine noua & parua, dictis non contrariatur.

De conuenientiori unctionis hora. Caput VI.

VNum præterire nolo, an conueniens sit ungere post cœnam, ut dixi: & dico quod sic: & ratio est, quia inunctio ista est multum resolutiua, cum qua resolutione etiam aliquid caloris innati resoluitur, nocetq; membris neruosis, ut est stomachus &c. quare cum per cibum & potum uirtus cõfortetur, & fortificata restauretur, ideo melius est uirtute restaurata, ut est per duas aut tres horas post cibũ, inungere, quàm resoluta, ut est in mane stomacho ieiuno. Est etiam melius in sero post cibũ quàm in mane: quoniã in nocte uirtus cõtrahitur intra & unitur, quæ est fortior ad omnes naturales operationes, & etiam tempore somni fit fortior, & est magis prona ad sudoris prouocationem, urinę, & aliarum superfluitatum. Quod si cui magis in mane hoc facere libuerit, accipiat per duas horas antè quatuor buccellas panis in uino optimo, uel duo oua sorbilia, & per quinque horas pòst accipiat suum prandiũ: & sic natura confortata uirtus melius cõtra morbum insurgit, meliusq; digerit, & euacuat materiam cõiunctam & sparsam in membris: quare &c. Verum quia oportet cõfortare ne in recidiuam quis incidat, cõfortentur membra omnia secundũ necessitatem, ut stomachus & hepar cum diarhodone abbatis, uel aromatico rosato, de qbus sumat

rotulam

rotulam unam in mane: caput confortetur cum corian dro uel cum diacori &c. pectus cum iusculo ordeaceo, uel pinidio, uel syrupo uiolato simplici, & cõposito &c. membra exteriora cum saluia & absinthio decoctis in uino, cum quo lauando confortabis iuncturas, & non multum ipsas humectare oportet, in quo potes etiã po nere cortices granatorum & sticados, & de alijs secun= dum necessitatem: & ultimo utatur aliquibus euacua= tionibus, ut sunt pilulæ mastichinæ, uel de fumoterræ &c. ut dicam post.

LIBER QVINTVS.

Suffumigiorum conficiendorũ ratio, quibus non solum morbus Neapolitanus iam inueteratus ad perfectum emendatur, uerumetiam illa quæ cæteris medicamentis restitui non poterant, exquisite curantur. Caput I.

Postrema cum suffumigijs cura, qua etiã in hac ægritudine medentes utuntur, et= si nõ sit ita tuta & uerax, tamen quia mul ti robusti & inueterati cum ista cura eua= dunt, ideo de modo curandi cum suffumi gijs ex cinabrio factis sermo iste erit. Qui quidem mo= dus, ut de unctionibus dictum est, non est à modernis inuentus, sed quidam antiquorũ in scabie mala uteban tur ipso. Verũ est quod moderni suffumigia ista diuer= sificarunt, quidam addentes correctoria, alij odoramen ta ad confortandũ cerebrũ, & alia membra principalia, quæ odoramenta sunt aliquando myrrha belzuin, sto= rax, olibanum, lignum aloës, gallia muscata, & ambra in diuitibus, & alia cõfortantia bona: sunt etiã addentes coadiuuantia, ut sunt auripigmentum, marchasita &c. tamen eadem est intentio, & laudabile est simul corre= ctoria & illa odoramenta bona ponere, & hoc quoniã hæc membra principalia cõfortata resistunt malignitati suffumigij & morbi. Sed anteq̃ ad declarationem mo= di huius suffumigij accedam, oportet in primis meden

tes admonere, quod iſte modus non eſt ſine timore nocumenti membrorum principalium, imò ſæpe recidiuant, & ad malas ægritudines cõplicatas cum iſta deueniunt, quæ ſunt ut aſthma, tuſſis, hydropiſis, & maraſmus: quare non adminiſtrandum niſi in inueteratis & in uirtute forti cum ægritudine mala, in qua alia remedia non conferunt, & cum maxima obſeruantia aëris & aliarum rerum non naturalium. Caue etiam ipſum in corporibus quæ aſthma patiuntur, aut conſumptionem ethicam, aut febrem cum acuitate uel prædominio humoris calidi: aut in his qui debilitatã naturam habẽt, uel alio quouis modo. Scias etiam quod omnes uirtutes unctionis poſſumus ſuffumigijs attribuere, præmiſſa ſecuritate ut ſuprà: & ratio eſt nota, cum baſis ſit uirtus argenti uiui operans: quapropter dico quod digerit & præparat ad omnia ſicut unctiones. Et cum ſint adminiſtranda cum maiori timore, ideo ſi quis ipſis pro cura uti uoluerit, præparet in primis ægrum præparationibus ſuperius dictis in cura per unctionem purgando corpus diligenter & paulatine, confortandoq; ſtomachum: & ſi opus fuerit, phlebotomabis, uel appone uentoſas: & reliquis utatur quæ cordi opitulantur ad intra & extra, ut ſunt cõfectiones cum gemmis, & epithemata unctionesq; infra dicẽdæ in cura accidentiũ.

Suffumigia qua ratione uſurpanda, quóue uictu dum illa adminiſtrantur, utendũ ſit. Caput II.

AEgro purgato, & in cubilli clauſo cum igne, uel ſtupha calefacto, ſi frigus aut aër multũ humidus fuerit, accipiat in mane in aurora oua duo ſorbilia, & bibat parũ uini aromatici boni, uel accipiat buccellam panis infuſi in uino optimo, & bibat: uel cyathũ unum brodij caponis cum rotula una trageæ perlarũ, aut aromatici roſati, uel cum ℥. una zuccari roſati &c. & quieſcat per duas horas aut unam cum dimidia: deinde præparato coopertorio, uel pauione, uel aliqd tale, in quo æger poſſit ingredi, & ſe totum cooperire ſine reſpiratione.

tione. Aeger ingressus sedeat super scamnũ, aut cathedram, & ponatur intra pauionẽ catinum plenũ ignis, in quo igne hoc suffumigium pone: R. cinaprij puluerizati ℥.s. olibani ʒ.ij. misce, & pone ut dictũ est super prunas ignis dicti, & æger sit nudus, & recipiat suffumigium per totum corpus, & stet secundũ dispositionẽ uirtutis usq; ad sudorẽ: quod si æger fortis tolerat, plus temporis moretur: si debilis, minus: quod si odorem nõ tolerat suffumigij, nares & partem anteriorẽ faciei extra pauionem teneat, & claudatur undiq; ne fumus respiret, & cõsumpto suffumigio exeat: cumq; exierit ingrediatur lectulum, & cooperiat se pannis, ita ut compleat sudorẽ per horam si uirtus tolerat. Et attendatur uirtuti, quoniam suffumigia ista dissoluunt calorem naturalem: quare si æger indiget quando sudat in lecto da sibi cyathũ brodij caponis cum rotula trageæ perlarũ, uel buccellã panis in bono uino, uel oua sorbilia: & sic per quatuor horas stet, accipiatq; prandium in aurora: uel bonum est si accipiat syrupum unum pro stomachi & cordis confortatione. Et accepto brodio uel aliquod aliud, ut dictum est suprà, suffumigiũ ingrediatur siue pauionem, & moretur ut dictũ est. Syrupusq; accipiendus in mane sit talis: R. syrupi rosati ℥.i. de buglossa ℥.s. aquarum buglossæ, fumiterræ, melissæ, ana ℥.i. misce, & quiescat per duas horas, & in alijs procedat̃ sicut in unctione dictum fuit quotidie, uidelicet cum appareat fluxus materiæ phlegmaticæ ab ore, uel alia signa dicta ibi: apparentibus uero signis, ab suffumigijs cessandum est, & attendatur uirtuti, & malis accidentibus, ut est ulceratio oris, sincopis &c. quod fit cum rebus & remedijs in cura unctionis dictis, & dicentur etiã ubi de accidentibus in fine loquar. Quod si æger nõ tolerat quotidianam suffumigij administrationẽ, fiat alternatim, uidelicet de tertio uel de quarto in quartum diem, ut ego sæpe facio, ubi uirtus non tolerat: uel fiat cum minore quantitate suffumigij. Quod si ægritudo fuerit antiqua

mala, & æger robuſtus, & alia medicamina non conferant, & cum iſta doſi non alteretur, duplicetur doſis ſupradicta, uidelicet poſtquam prima ab igne conſumpta eſt, iterũ aliam eiuſdẽ põderis pone, & ſic continuabis. Quod ſi ab ore nihil egrediatur, procedendũ eſt uſque dum ſigna alia conſumptionis materiæ appareant. Ego uero inter alios cum ſuffumigijs duos curaui qui nunquam ab alijs medicaminibus ſanati fuerũt, qui inuncti fuerunt pluries, ſed nunquam ab ore aliquid miſerunt, & erant iuuenes, & ego cum ſuffumigijs proceſſi uſq; ad reſolutionem omnium apoſtematum, habita ratione uirtutis: & ita fortis fuit reſolutio, quod ad neruorũ mollitiem & paralyſim deuenerunt, & ſic ſanati ab iſto morbo fuerunt: poſtea per aliquos menſes etiam à paralyſi liberati fuerunt: & hoc nõ eſt malum, cum minus ſit nocumentum in tanta morbi malignitate paralyſis, quàm ulcerum, & dolorum nocumentũ, ut fuit in iſtis, qui corroſione oſſium &c. & perforatione palati, & totius gulæ ulceratione manebant: quare &c. Et ut poſſis diuerſis diuerſa auxilia applicare, in ſequẽti cap. multas alias deſcriptiones ſuffumigiorum ſcribàm.

Quæ doloribus opitulari in primis poßint. Caput III.

SVprà poſita fuit una deſcriptio ſuffumigij exemplariter loquẽdo: hic uero diuerſas alias deſcriptiones ſuffumigiorum quæ eiuſdem ſunt uirtutis, fortiora tamen, ponã: & primo, R. cinabrij puluerizati unc. vi. auripigmenti unc. ij. thuris, myrrhæ, ſandalorũ rubeorum, ana unc. s. miſce, & puluerizentur ſubtiliſſime, & quantitas ponenda pro qualibet uice in igne eſt unc. i. Aliud ſuffumigium: R. cinabrij unc. iij. auripigmenti unc. i. marchaſitæ unc. s. olibani, myrrhæ, ligni aloẽs, ana unc. s. puluerizentur ut ſuprà, & quantitas ponẽda in igne eſt ab. unc. ſemis uſque ad unc. i. Aliud ſuffumigium eiuſdem uirtutis quod eſt magis confortatiuum. R. cinabrij unc. ij. olibani unc. i. galliæ muſcatæ drac. ij. miſce, & puluerizẽtur ut ſuprà, & iſta quantitas eſt pro

tribus

tribus uicibus ponenda in igne. Possumus etiam ex dictis rebus formare trochiscos, hoc pacto: R. zinabrij ℥. ij. olibani, myrrhæ, belzuin, ana drach. iiij. galliæ muscatæ drach. i. s. theriacæ unc. s. aquæ melissæ quantum sufficit, misce, & fiant trochisci, & utere ipsis ut dictũ est ponendo super ignem pro uice usque unc. i. pro quolibet mane, quando fit suffumigiũ. Possumus etiam multa alia componere addendo & minuendo secundum ægri uirtutem, & morbi malignitatem: & cum administraueris dicta, cibetur æger bonis cibarijs, & custodiatur ab aëre frigido: postea in fine cõfortetur stomachus & hepar cum rebus dictis & dicendis ubi de cura cuiuscunq; accidentium tractabo, quæ huius opusculi ultima pars erit. Sed ut audacter in cura accedas, audi quod mihi pluries euenit. Ego sæpe aliquos patientes morbum Neapolitanum cum unctionibus non potui sanare, quoniam nõ erat sufficiens euacuare siue dirigere naturam ad euacuationem totalem huius humoris: & hoc uidens ultra unctionẽ dictam suffumigia superius feci. Inter quos fuit quidam iuuenis ætate uiginti annorum, nomine Dominicus de Cõsinio S. Petri, qui à multis Empericis, & barbitonsoribus, & mulieribus sæpissime unctus, nunquam sanatus est, sed ad tantam malignitatem istius ægritudinis deuenit, quod tota gulæ pars, & palatum ulceribus malis infecta, neque loqui poterat, & uix comedere, & cum maxima difficultate bibere poterat, brachijsq; & cruribus spasmatis & contractis in lecto iacebat, ita quod ad beneficium corporis duo ipsum ferebant, & quando comedere uolebat, necesse erat quod aliquis sibi cibũ in ore poneret: & ultra hoc ulcera hinc inde per corpus erant, & grumæ siue apostemata dura cum doloribus iuncturarũ, qui ipsum uel parũ aut nihil dormire permittebant cum maxima cõsumptione totius corporis: profecto casus maximus erat, quoniam cum istis omnibus semper febriebat &c. Et cum rogaret me sæpe mater mea, ut uellẽ ipsum sa-

nare, ſi eſſet poſſibile, ad ipſum acceſſi, & quãuis omnes dictæ conditiones ſic erant malæ, ut nullam ſpem ex eis haberẽ, tamen pulſus erat cum aliquali fortitudine: de quo confiſus, facta aliquali digeſtione & parua euacuatione, cœpi ipſum inungere cum unguento quarto in ordine, ſcripto in tractatu de cura per unctionem, additis olei roſati unc. ij. & ſic proceſſi ungendo per decem dies, interpolatis diebus: ita quod ex tali unctione dolores remiſſi fuerũt, qui cœpit dormire in nocte, & ego ceſſaui ab unctione, cibauiq; ipſum bonis cibarijs bene nutrientibus, ut ſunt oua ſorbilia cõtuſa, & uinũ bonũ. Virtute ſic cõfortata per xx. dies, iterũ cœpi inungere ipſi iuncturas cruriũ & brachiorũ, & factis tamen multis unctionibus ulcera non conſolidabantur, neq; apoſtemata reſoluebantur: quare cum ſuffumigijs decreui reſiduum materiæ reſoluere: & ſic proceſſi, uidelicet in ſero ungebã iuncturas cum unctione, & in mane ipſo ſub pauione poſito, cum ſuffumigio primo in ordine in iſto cap. ſcripto ipſum ſuffumigaui: & ſic per multos dies proceſſi, & ulcera erant ferè cõſolidata, ſed proſtrata erat uirtus: & ideo dimiſi per mẽſem cũ dimidio ipſum cum bonis cibarijs, bonoq; regimine quieſcere: poſtea iterum cœpi ipſum inungere, & ſuffumigare, ut ſuprà dixi, & iſtis factis per quindecim dies continuos liberatus fuit. Sed quia erat in ultima cõſumptione, ideo poſt ſanationem cibaui ipſum iuſculo ordeaceo in mane loco ſyrupi, & ſemper ultra alias res comeſtibiles in prandio & cœna dabam iuſculum ordeaceũ, qui adhuc uiuit, & eſt ſanus. Sic dico quod aliquando oportet procedere, quando medicamen debile non poteſt, cum fortiori: ut ſi non poteſt purgationibus, fac cum potione decoctionis ligni Indici, uel cum unctionibus: quod ſi unctione non ſanatur, fortiſſimum medicamen eſt ſuffumigiũ &c. Sit igitur benedictus deus trinus & unus. Et tu ſecure procede habita uirtutis & ægritudinis cognitione; quoniam, ut dixit Galenus, uirtuti forti nihil

hil resistit. Neque sic faciendo errabis &c. Et hæc de cura per suffumigia satis: deq; cura particularium accidentium dicam.

LIBER SEXTVS.

Præfatio, in qua manifestantur quæ de cura accidentium in sequentibus dicenda sunt. Caput I.

Isis & declaratis modis dictis eradicalis curationis istius morbi, ad completã doctrinam hic particularium accidentiũ curam describere non inutile erit, quoniã particularia accidentia applicatione particulari indigent, si quis ipsis solis intendat, uel etiam si ad primariam ægritudinis curam fiat intentio: quæ accidentia ut dictum fuit superius, fuerũt pustulæ, dolores, apostemata dura, ulcera maligna. Sermo igitur iste erit de modo succurrendi pustulis, doloribus, apostematibus, & ulceribus morbi Neapolitani cum medicinis particulariter applicatis, secundũ diuersitatẽ eorum, cum sigillatione istius sermonis per modum cõfortationis membrorum, & præseruationis à recidiua.

Pustularum tum per unguenta, tum per alia præsentanea remedia curandi methodus. Caput II.

A Pustularũ igitur curatione particulari incipiam: quæ cura diuersis medicaminibus perficit, quorum primum est unguentum benedictũ meum completum, in cura per unctionẽ scriptum, cum quo pustulæ ungantur sigillatim mane & serò, uel cum alio ex dictis, & sic sanabis unamquanq; pustulam in quacunq; parte corporis. Quod si contigerit ex dicta pustularum unctione, quod gingiuæ alterentur, & phlegma ab ore fluere incipiat, desistendum ab unctione ipsarum erit, & succurratur modo dicto in cura nocumenti oris per unctionem. Et nota quod aqua ordei in hoc est multum proficua cum diamorone, & melle rosato, ut dictũ est. Quod si sine unguento pustulas remouere siue sa-

nare uolueris, R. aquæ ardentis, aquæ rosatæ, ana unc. vi. sublimati drach. ij. bulliant lento igne usq; ad dissolutionem sublimati in uase uitreo siue uitreato, & serua: cum qua aqua postea tange unamquanq; pustulã sero & mane, quoniã sanat ipsas in quacunq; corporis parte fuerint. Alia aqua eiusdem uirtutis, delens uidelicet pustulas dicti morbi. R. aquæ cum qua fit sapo, ℥. iiij. aquæ rosatæ ℥. ij. salis armoniaci, aluminis rochæ, ana ʒ. ij. bulliant parum lento igne, & serua, cum qua aqua bis in die pustulas tangas. Alia aqua eiusdem uirtutis. R. aquæ maris, aquæ rosatæ, ana unc. iij. sublimati, uiridi æris, ana unc. i. s. bulliant ad cõsumptionem quartæ partis, & cum ista aqua pustulæ bis in die tanganẽ. Alia aqua sanans pustulas ut suprà. R. aquæ rosatæ ℥. vi. arsenici albi ℈. i. s. salis armoniaci, salis gemmæ, ana ℈. iiij. aluminis rochæ ℈. ij. bulliãt ut suprà, & tange pustulas. Alia aqua delens & sanans pustulas morbi Neapolitani, cum qua etiã mulieres quæ habent cutem grossam, nigram & squamosam, subtiliant, dealbant & mundificant ipsam, & est bona ad remouendum uestigia pustularum & aliorum ulcerum. R. argenti uiui ℥. iiij. decoquãtur in ouo hoc pacto: facto foramine in ouo crudo, pone intus argentum uiuum. postea obturabis foramen cera, sine aliqua alia re: deinde sub cinere, uel in aqua ad ignem usq; ad oui indurationẽ coque: deinde accipe dictum argentum uiuum, & argenti sublimati ℥. i. aluminis rochæ ʒ. ij. incorporentur simul in mortario lapideo cum baculo ligneo nitido semper agitando & ponendo parum aquæ rosatæ, uel uiolarum, aut cucurbitæ: & fiat hoc in mane per multos dies, in sero uero dimittatur quiescere, & sic fiat donec albescat sicut nix, & hoc totum pone in phiala uitrea, & desuper pone aquæ pluuialis claræ libras duas, & coque lento igne ad consumptionem medietatis, & quiescat donec resideat in fundo ad minus per noctẽ, & abiecta aqua iterum pone totidem aquæ, & iterum bulliat ut suprà, dimitte

mitte quiescere & residere, & postea cola per colatoriũ, istamq; colaturam serua pro usu ad pustulas sanandas, quæ est mirabilis crede mihi. Alia aqua fortior, quæ nõ solum ualet pustulis exterioribus, sed sanat ulcera mala intrinseca oris, palati, & gulæ, sanatq; ulcera uirgæ & uuluæ, si cum ea tangentur discrete, cuius hæc est descriptio: R. aquæ separationis auri ab argento, descriptionem cuius ponam, ubi modum conficiendi pulueremrubeum, à me angelicum dictum, docebo, unc. ij. aquæ rosatæ unc. i. misce, & utere tangendo, ut dictum est in alijs: quod si fuerit nimis acuta, adde aquam rosatam, & erit mitior. Ego isto medicamine ulcera mala oris & gutturis multa sanaui, & est mirabile præsidiũ. Quod si contingat aliqua oris inflãmatio, uel indignatio, utere aqua ordei tepida, uel lacte ouino siue uaccino. Potes etiam alias lotiones cõponere, & aquas pro pustulis fortiores & mitiores secundum necessitatem: & quando uis maiorem stipticitatem, pone plus de alumine rochino. Quod si propter acuitatẽ sublimati accidat dolor, aut excoriatio, uel tumor, unge pustulas cum butyro, uel laua cum aqua ordei, aut cum alijs extinguentibus, & mitigãtibus dolorem. Nota tamen quod istæ aquæ & unguenta dicta ualent ad manuum & pedum fixuras, & ad alia ulcera callosa istius morbi, si quis cum ipsis tangat ulcera & fissuras, uel suauiter lauet. Et hæc de remedijs pustularum sufficiant. Sed quoniam aliquãdo apparent in cruribus, & circa ulcera etiam aliquæ paruissimæ pustulæ, à materia acuta istius morbi, quæ excoriant, & maximũ causant dolorem, quas cum isto linimento si inunxeris sanabis. R. unguẽti de tutia, populeonis, rosati Mesue, ana unc. i. lithargyrij argẽtei, chimoleæ, acaciæ, ana drach. ij. succi plantaginis, solatri ana q. s. misce, & ducantur in mortario plumbeo donec perfecte incorporentur, cum quo unge excoriationẽ, & parua ulcera, & sanabis. Et hæc satis de pustulis.

De *his quæ opitulantur doloribus.* Caput III.

CVm dolores fiant in omnibus partibus corporis, ut experiẽtia ipsa testatur, & de eorum causis iam dixerim, succurratur secundum diuersitatem dolorum & membrorũ: qui uero sunt intensi, cum fortioribus, & quando sunt remissiores, cum mitioribus medicaminibus ab intra & extra applicatis. Et quoniã uerior cura est remouendo causam, ideo in primis de his quæ ab intra sumuntur dicam, quæ etsi non tollunt totalem causam, tamen remouent secundũ partem, & sic mitigant dolores per aliquod tempus: de quibus sunt electuaria iam dicta in cura per pharmaciam, & etiam sunt pilulæ ibi dictæ, ad quam partem oportet redire. Sed ultra illa scribã remedia alia per me sæpissime experta in multis, & in primis pilulas ex inuẽtione nostra, quæ euacuant materiam antecedentem & coniunctam accidentium morbi Neapolitani inueterati, & sic mitigant dolores per tempus in quacunq; parte corporis existẽtes, quarum hæc est descriptio: R. satirionis drach. i. hermodactylorum drac. ij. myrobalanorum chebularũ, citrinarum indarũ, ana drach. i. s. agarici, mastichis ana drach. ij. s. zinziberis drach. i. specierũ hieræ picræ unc. s. aloës boni unc. i. s. diagridij scrup. ij. fiat massa cum succo cucumeris asinini, & succo rosarum, dosis quarum est usque ad drachmã unam. Aliæ pilulæ expertæ, ut supra ualentes, & sunt fortiores, quæ mirabiliter tollunt dolores. R. specierum hieræ picræ, mastichis, myrobalanorum citrinarum, chebularum, indarum, ana drach. ij. interioris coloquintidæ, elaterij, hermodactylorũ, satirionis, zinziberis, ana drac. i. s. serapini drach. iij. s. salis Indi drach. ij. fiant pilulæ cum succo cucumeris asinini, & succo rosarũ, & dosis earum est usq; ad drach. i. Educunt materias crudas à quacunq; parte corporis, & maxime à iuncturis, & capite. Aliæ pilulæ quæ anodinæ dicuntur, mitigantes dolorem euacuando ut suprà. Rec. pilularum cochiarum Almansoris drach. viij. aloës boni

ni ʒ.vij.hermodactylorũ ʒ.iij.diagridij ʒ.i.rosarum rubearum ʒ.i.s.fiant pilulæ cum succo rosarum, & dosis est ʒ.i. Aliqui uero sedant dolores euacuando cum puluere hormodactylorũ, sumẽdo ʒ.i.s.descriptionẽ cuius nullibi me legisse memini, sed credo eam esse magistralem ab aliquo innominato; & ideo ponam eius descriptionem, etsi aromatarij ferè omnes eam componant: & cõfert doloribus podagricis à materia frigida & aliorum membrorum, & maxime doloribus morbi Neapolitani: cuius hæc est descriptio: R. hermodactylorũ, turbit, ana ʒ.iij.diagridij ʒ.ij.s. zinziberis drach.i.mastichis drach.s. zuccari fini drach.vi. misce, & fiat pluuis subtilissimus, dosis est usque ad drac.ij. Et quoniam sunt quidam abhorrentes electuaria, pilulas, & pulueres, ideo ego sæpe iubeo hoc solutiuum in forma solida siue in rotulis sumere. R. diadraganti frigidi, succi citoniorum, ana unc.ij.hermodactylorum, zinziberis, ana unc.s.turbit electi unc.i.diagridij drach.iij.tereniabin, succi rosarum, ana unc.i. mucilaginis seminũ carthami unc.s.zuccari fini unc.xvi.misce, & fiat confectio in rotulis, & dosis est unc.s.usq; ad drac.vi. Et nota quod hora conuenientior assumptionis solutiui pro doloribus est in sero ante tempus siue aduentum paroxysmi, siue ante tempus principij doloris, & est circa horam xxij. & hoc quoniã materia ista uiscosa melius educitur per pharmacũ, quando mouetur à natura, & etiã cum minori molestia, ut in multis experiẽtia mihi notum fecit, & ista sufficiant per intrinsecas applicationes. Et ad ea quæ extrinsecus applicata cõferunt deuenio, quæ cum sint diuersa, dolorem diuersimode mitigãt. Stupefactiua uero etsi dolorem mitigant, non tamen in isto morbo applicanda sunt, quoniam augent malignitatem frigiditatis materiæ sua frigiditate, destruuntq; calorẽ innatum membri, & materiam ingrossant, & ipsam difficilioris resolutionis reddũt: quare nullo pacto applicanda sunt, nisi in casu mortis &c. Anodina medicamina,

Stupefactiuum doloribus morbi Neapol. cur minime conueniunt.

quæ & ſine dolore dicũtur, applicata aliquantiſper conferunt, quoniam ſunt ſatis ſimilia calori naturali, aut parum excedentia, ut omnes medici docent, quæ ſunt ut oleum anethinũ, de camomilla, roſatũ, de andacocha, de lilio, & alia quæ cõfortant uirtutem membri, & ſubtiliant materiam cõiunctam, & præparant eam ad reſolutionem uel euaporationem, cum qua fit mitigatio doloris, ſi loca doloris cum iſtis calidis ungas. Hoc idẽ flores in dictis & herbæ ingredientes faciunt, ſi in emplaſtris aut fomentationibus ponantur, uel alio modo applicentur: uerũ oportet medicamen diuerſificare, ſecundum diuerſitatem humoris prædominantis, & membri patientis, ut docuit Gal. iij. Techni: & aliquando cum materia eſt multum frigida & uiſcoſa adde calefaciẽtia, ſecundũ neceſſitatem, ut ſticados, & oleum liliorum, & alia experta, de quibus ſtatim per me multa medicamina bona ponam. De eradicatiuis ex toto in iſta ægritudine ſermo iſte non eſt, quoniã prædicta ſunt in alijs modis curæ eradicatiuæ, ſed de expertis mitigãtibus, quorum iſta eſt una emplaſtri deſcriptio: R. farinæ ſeminũ lini, ordei, florũ camomillæ, meliloti, ana unc. i. ſaluiæ, abſinthij, ſticados, ana unc. s. uini montani dulcis q. ſ. puluerizanda puluerizẽtur, & fiat ex eis emplaſtrum, & pone ſuper locum doloris, quoniam reſoluit & mitigat dolorẽ, quando materia eſt nimis frigida & groſſa. Aliud emplaſtrum eiuſdem uirtutis. R. florum camomillæ, ſticados, ana unc. s. hermodactylorum unc. i. olei camomillini, uini aromatici, mellis optimi, ana unc. ij. mucilaginis ſem. lini, fenugræci, & radicum altheæ, ana unc. i. bulliant ad ignem uſquequo emplaſtri formam recipiat, & pone ſuper locum doloris calidũ. Aliud emplaſtrum pro pauperibus, & cõfert. R. furfuris, florum camomillæ, ana partes æquales, bulliant cum ſapa q. ſ. uel cum uino dulci, & fiat emplaſtrũ, & pone ſuper locum doloris. Quidam etiam cum abſinthio calefacto ſuper lapidem ignitum extinctũ cum uino, calidũ ponen

do

do ſuper locũ, ſuccurrũt doloribus. Et alij cum furfure in caldario calefacto, & in ſacculo poſito ſuper locũ doloris, deinde applicatum, mitigãt dolorem. Et ego ſæpe expertus ſum, & inter remedia quæ aliquid conferunt, quoniam pauca ſunt quæ conferunt, eſt de melioribus. Poſſumus hoc idem facere cum fomentis: uerbi gratia, R. florum camomillæ, meliloti, anethi, ſaluiæ, ſticados, abſinthij, ana. m. i. bulliant in uino aromatico, & infunde in ipſo calido ſpongiam, quam bene expreſſam pone ſuper locum doloris, cõtinuando unam applicationem poſt aliam &c. Et tu potes lauare, & etiam cum alijs ingenijs ſic procedere, ut cum ceroto noſtro in cura per unctionem ſcripto hoc idem facere. Et hæc de ſedatiuis dolorum ſatis dicta ſint.

De modo reſoluendi, maturandi, & aperiendi apoſtemata dura ſiue grumas. *Caput* IIII.

APoſtematibus duris ſiue grumis ſuccurrat ſecundum diuerſas intentiones ipſorum apoſtematũ, uidelicet ſecundum propriam ex laudabilibus intentionem: nanq; apoſtemata uno quatuor modorũ terminantur, ſcilicet reſolutione, ſuppuratiõe, corruptione, & induratione: eſt ſentẽtia Principis tertia quarti capij. ex quibus duo ſunt laudabiles, ſcilicet primi, & duo mali ſcilicet ultimi, de quibus nihil dicã, ne ſermo ſit longus. Si igitur uis à principio reſoluere, procede cũ mollientibus calidis, in quibus ſit aliqua ſiccitas, & non tranſcendas primũ gradũ, ut docent omnes doctores: quæ ſunt multa, uidelicet pinguedo gallinæ, anatis, oleũ camomillinum, de lilio, de kerua: & Serapio laudat multum armoniacũ, & eſt mirabile, ut dicit, quamuis excedat in caliditate: quare &c. ex iſtis potes componere & ungere tumores uel grumas dicti morbi. Vel etiã pone cerotum noſtrum ſcriptũ in fine curæ per unctionem, quoniã eſt medicamen mirabile in reſoluẽdo. Vel pone hoc emplaſtrũ ſi dicta nõ conferũt. R. hyſſopi, ceroti D. Meſue diachilonalis, parui emplaſtri de meliloto, ana

℥.i.pinguedinis gallinæ, equi, medullæ crurium uituli ana unc.s.miſce, & ad ignem fiat emplaſtrum, & pone ſuper duritiem,reſoluit & mitigat dolorem. Aliud emplaſtrum eiuſdē intentionis:℞.diaquilonis cum gummis,unguēti mollitiui, ana unc.i.armoniaci diſſoluti in aceto unc.s.pinguedinis anſeris, terebinthinæ,ana ℥.s. mercurij unc.i.miſce, & fiat unguentū in bona forma, quod diſſoluit omnem duritiem morbi Neapolitani ſi ſupra apponatur. Aliud unguentum ſiue linimentum reſolutiuū. ℞.pinguedinis gallinæ, anatis, anſeris,ana unc.i.medullæ cruriū uituli, & cruriū porci,ana unc.s. olei de camomilla drach.vi.miſce, & fiat linimentum cum quo unge duritiem ſæpe. Aliud linimentum reſolutiuum bonum. ℞.unguenti dialtheæ unc.i.olei liliorum alborum, pinguedinis gallinæ, butyri recētis,ana unc.s.miſce, & unge locū actu calidū. Aliud unguentum reſolutiuum quod ponitur ſuper duritiem,extenſum ſuper corium uel pannū lini.℞.armoniaci,bdellij, galbani,ana unc.i.diſſoluantur in aceto: deinde adde mucilaginis ſem. lini, fenugræci, altheæ, ana unc.s.lithargyrij unc.ij.bulliant uſquequo formam ceroti recipiat, ſemper cum baculo agitando, & utere. Ad idem multum cōfert diaquilon cum gummis,quod ſæpe expertus ſum,reſoluit & mollificat omnem duritiem &c. quare utere remedijs dictis ſecundū neceſſitatem. Nota tamen quod ſi in linimentis prædictis aliquando poſueris portionem unguēti noſtri benedicti, deſcripti in cura per unctionem, melius & citius reſolues unamquanq; duritiem. His igitur factis, & durities ſiue apoſtema grumoſum non reſoluatur, ſed potius ad maturationē declinare uidebis, tunc cum maturatiuis eum adiuuare oportet, cum medicus ſit adiutor naturæ, & non impediens, ut dixit Hippocrates, de quibus ponā deſcriptiones multas, & primo emplaſtrū maturatiuū quod omne apoſtema durum & maxime morbi Neapolitani maturat. ℞.mucilaginis altheæ,fœnugræci,de

ſem.

ſem.lini,ana unc.vi.fermẽti,axungiæ gallinæ,radicum liliorum alborum ſub prunas coctorum ana unc.iij.radicum altheæ elixatæ & bene piſtatæ unc.iiij.ficuũ pinguium bene piſtatarũ unc.ij.incorporentur, & fiat emplaſtrum ſecundũ artẽ,& pone ſuper apoſtema. Aliud emplaſtrum maturans apoſtemata dura. R.radicis altheæ bullitæ,axungiæ porcinæ,gallinæ,ana unc.iij.pinguedinis cerui,reſinæ pini, terebinthinæ,ana ℥.i.s. miſce, & fiat emplaſtrũ ad ignem, & ualet multum maturans apoſtemata dura. Aliud emplaſtrũ maturatiuum. R.radicum liliorum alborum,altheæ,ana unc.vi.decoquantur in aqua communi, poſtea piſtentur ſubtiliſſime,& adde farinæ fenugræci,ſe.lini,tritici,ana unc.ij.s. & cum decoctione dictarum radicum fiat emplaſtrum ad ignem,& in fine adde pinguedinis gallinæ porcinæ, butyri recentis,ana unc.ij.miſcẽdo bene. Aliud emplaſtrum maturatiuũ & reſolutiuum. R. radicum altheæ, unc.vi.incidantur & bulliant, & ſubtiliſſime piſtentur: poſtea accipe totidẽ pinguedinis porcinæ per ſetonem colatæ,& in mortario incorporẽtur,& pone ſuper apoſtema. Ad hoc aliquãdo ualent diaquilon magnum, & unguentum mollitiuũ ſeu de mucilaginibus ſuper locum retentum, quoniã maturant & reſoluunt. Valet etiam hoc emplaſtrum. R.radicis bryoniæ elixatæ & piſtatæ, axungiæ porcinæ colatæ,ana partes æquales, incorporentur,& utere, quoniam maturat & reſoluit,& eſt de ſecretis &c. Ex dictis potes multa alia componere reſolutiua, & maturatiua,& ipſis addere: potes etiam facere fomentationes maturatiuas,& reſolutiuas cum rebus appropriatis,quam rem tibi dimitto &c. Facta maturatione aperiatur apoſtema cum ſagitella,uel alio inſtrumento incidente,& hoc ſecundum inceſſum uillorum,præterquã in fronte & in ſumine,& alijs locis quę contrario modo aperiunt: cauſam uide tertia quarti ab Auic. Quod ſi aliquod nocumentũ per inciſionẽ timueris, uel ſi magis diligis cauteriũ actuale propter eius con

fortationē, aperi cum ipso, & sit gladiale &c. Verū quia multi timent actualem, etsi potentiale nō sit ita tutum, faciendum tamen est si non habes aliam uiam, urgente necessitate, & cauterium potentiale sit domesticum & correctum. Et caue ne ipsum super iuncturas uel neruos ponas, ne destruatur membri operatio. Et hoc debemus ita in actuali quàm in potentiali animaduertere. Ego sæpe utor isto in apostematibus dicti morbi, & in bubonibus aperiendis, & est tale: Rec. sublimati ʒ.ij.s. unguenti populeonis ʒ.iij. opij grana v. lapidis hæmatitis ℈.s. misce, & fiat unguentum, & pone super apostema maturum secundū quantitatē foraminis quod facere intendis, quoniā aperit, si per sex horas supra steterit: & postea eleuato cauterio pone ad procurandū casum escharæ butyrum cum folio caulis, uscq; dum eschara cadat. Vel potes loco dicti cauterij uti oleo de uitriolo, & est mirabile sine dolore cauterizando: & fit hoc modo:

Olei uitrioli compositio.

R. uitrioli romani siue ciprini ℥.xxx. salis nitri, aluminis rochæ, ana ℥.iiij. misce, & puluerizentur omnia, & calcinentur ad ignem secundū artem: postea pone hoc calcinatum in bocia curua lutata ad ignem fornacis alchymistarū, & per ignem actum habebis in recipiente oleum, quod est cauterium mirabile, & sine pari in quacunque operatione, & maxime in scrofulis & uerrucis magnis eleuandis: sed recipiens sit magnum, si uis facere dictum oleum. Nota tamen quod quando compono cauteriū cum sublimato, & uolo ipsum sine dolore, dimitto ipsum quiescere per aliquos menses, & pono etiam duplicatam dosim opij, & ipsum cauterizat sine dolore, uel cum paruissimo. quod si ipsum potētius desidero, addo plus de quātitate sublimati &c. Aliud cauterium ualde mirabile aperiens apostema, & scrophulas, sine dolore notabili. R. cineris lignorum montiū libras x. aquæ fontis ℔.xxx. bulliant ad consumptionem tertiæ partis: deinde accipe calcem uiuam integrā quantum sit sufficiens, ita ut aqua supernatet per duos digi-

tos,

tos, & pone in dicta aqua siue lixiuio, & sic dimitte per dies octo, miscendo semel in die: postea cola p colatoriũ, & in colatura adde aluminis fezæ siue tartari unc. vi. & dimitte fermentari dies octo, & cola ut suprà: deinde R. ℔. i. dictæ colaturæ, aquæ cum qua fit sapo ℔. s. pone in cassia ad ignẽ, & bulliant usq; ad spissitudinẽ mellis, & habebis causticũ mirabilis operationis. Vel fiat hoc idem in aperiẽdo apostema cum trochiscis calidicon in antidotario Dini, in expositione tertiæ & quartæ Fen, quarti canonis, uel cũ trochiscis alchadicon D. Mesue cap. de polypo, uel cũ aliquo alio descripto ab antiquis & modernis. Semper tamen siue cum actuali, siue cum potentiali cauterio apostema aperire intendis, securissimum est supra locum per iiij. digitos ponere defensiuũ ad retinendum, ne noua materia propter dolorem curat ad locum. Et hoc potes cum isto facere. R. boli armeni, sanguinis draconis, chimoleæ, acaciæ, ana ℥. s. unguenti de plumbo ℥. i. albuminis ouorũ, aceti, ana q. s. misce, & fiat unguentũ in mortario, & pone ut suprà, quoniam mitigat etiam dolorem. Aliud unguentũ defensiuum. R. unguenti nostri benedicti unc. iij. sanguinis draconis, chimoleæ, boli armeni, acaciæ, ana unc. s. camphoræ scrup. s. misce, & pone ut suprà &c. & sic unumquodq; apostema aperies.

De cura omnium ulcerum morbi Neapolitani. Caput V.

APerto igitur apostemate, reliquum est de curatione ulcerũ dicere. Sed cum in tam maligna ægritudine tot diuersitates ulcerũ sint, & ut omnia unico uerbo complectar, omnia genera malignorum ulcerum in tali morbo apparent. Et ideo nõ sicco pede hac in parte ambulare decreui, sed aliquãtisper expergefacere medentes intelligo, ad memoriã euocãdo id quod dictum est in cap. de essentia istius morbi, uidelicet de occulta & maligna qualitate in isto morbo reperta, quæ nõ solũ radicalẽ impedit curã, sed etiã accidẽtiũ, inter quæ enumerata fuerunt ulcera, quæ diuersimode impediunt, ut te-

ſtatus eſt Gal. iiij. de morbis curandis cõtra Theſſalum, & alij doctores etiam: quæ impedimenta ſunt multa, & primo ex parte ulceris, in eo quod eſt ſoluta continuitas, figuraq; uel eſt circularis, uel fiſtularis: impeditur etiam ex parte ſaniei, quoniã aut eſt nimis ſubtilis, uel nimis groſſa, aut nimis calida, frigida, & de alijs qualitatibus, à quibus ſequitur corroſio, molliſicatio, exiccatio, &c. aut quia habent occultam qualitatem, ut dixi, quæ in iſtis eſt peſſima cauſa impedimenti conſolidationis. Sunt etiã ex parte membri in quo eſt ulcus, aut quia naturaliter debile ut crus, aut quia multa humiditas naturaliter in ipſo abundat, ut in uulua, & gutture: ſunt etiam aliquando ex parte membri mandantis, ut eſt hepar in iſtis, quoniam quotidie nouas ſuperfluitates ad ipſa ulcera hepar tranſmittit: uel ex parte totius, quoniã corpus eſt cacochymum &c. Complicationes etiam cum alijs ægritudinibus materialibus & immaterialibus ſunt impedientes: & multi alij ſunt modi, ut eſt oſtracoſitas labiorũ, corruptio oſſium, &c. per quos omnes fit impedimentũ conſolidationis. Sed quoniam in iſtis tota uis eſt, ideo in primis regulas quaſdam uniuerſales pro iſtis ponam, poſtea ad particulares deueniam. Et primo ſi figura fiſtularis eſt impedimentũ, & ſit in loco ubi poſſibilis ſit apertio ſine patientis particulæ diſcrimine, aperiatur inſtrumento, uel cauterio: ſi autem non eſt poſſibile, ponant̃ per foratas fiſtulas, lotiones, & unguenta diſſoluta, ut dicã ſtatim. Quod ſi figura circularis in cauſa fuerit, reducatur ulcus ad aliã figuram, aliquo leui medicamine domeſtico ſecundũ medici iudicium. Quod ſi groſſities ſaniei impediat, ſubtilietur cum digeſtiuis, in quibus ſit uirtus digeſtiua cũ inciſione. Quod ſi ſaniei ſubtilitas fuerit, ingroſſetur cum conſeruantibus calorẽ, in quibus ſit uiſcoſitas aliqua, ut ſunt glutina &c. Et ſi caliditas, uel frigiditas, & aliæ qualitates impediant, procedatur cum ſuo contrario, & remouebis cõſequẽtia quæ fuerũt corroſio, & reliqua di-

cta

cta suprà. Qualitas occulta remouēda est cum his quæ habent proprietatem, & sunt experta, ut sunt unguēta in quibus ingreditur argentū uiuum, & etiam puluis à me angelicus dictus, propter eius angelicā in tali morbo operationem, & est medicina mirabilis, cui non est par. Si uero membri debilitate cōsolidatio impediatur, confortetur cum calidis in quibus sit proportio cū membro: quoniam, ut inquit Auicen. ægritudo suo medicatur contrario, & conseruatur sanitas suo simili; & Galenus dixit, Calidiora calidioribus applicāda &c. Si autem hoc ab humiditate ad membra naturaliter fluente fuerit, utere exiccationibus fortibus: quod si impediens membrum transmittens fuerit, ut hepar, aut renes, uel cerebrū, purgētur membra illa, & rectificētur si est possibile. Sic etiam in corpore cacochymo facies, malos purgando humores. Quod si propter complicationes alterius ægritudinis, cureť ægritudo cōplicata impediens, non tamen dimissa ex toto ulceris curatione, ut docet Auic. quarta quarti, & quarta primi cap. ultimo. Et sic remouendo unamquanq; causam, omne genus ulcerū sanabis, ut remouendo duritiem ostracosam cum medicamine acuto, uel cum instrumēto apto, & ossiū corruptionē siue denigrationē remoue cum medicamine faciēte relaxare squamas, & frusta ossis corrupti, & cum appropriatis, uel cum instrumentis, ut sunt fricatoria, scalpro, & tripano, uel aliquo alio instrumēto secundū necessitatē membri, & quantitatē corruptionis ossis: & hæc dicta sufficiāt. Et remedia quæ uniuersaliter superius tetigi, particulariter hic scribā, & primo unguentū digestiuū ulcerū morbi Neapolitani, quando sanies est cruda & grossa. R. axūgiæ porcinæ, terebinthinæ, ana ℥.ij. butyri ℥.i. olei liliorū alborum ℥.i. mercurij ℥.s. succi aranciorum ʒ.vij. misce, & fiat unguentum, cum quo licinia ungantur ponenda in ulcus, & etiam pannum cum quo cooperies ulcus, dicto unguento illinies, & secundum membri cōditiones ligabis &c. Aliud unguen

tum digeſtiuũ, ualet ut ſuprà. R. unguenti baſiliconis D. Serapionis, dialtheæ, ana unc. i. terebinthinæ unc. s. miſce, & fiat unguentum, & utere ut ſuprà. Aliud unguentum digeſtiuũ eiuſdem uirtutis. R. terebinthinæ, butyri, ana unc. i. unguenti raſini unc. i. uitelli ouorum nu. ij. croci drach. s. miſce, & fiat unguentũ. Aliud unguentum digeſtiuum quando ſanies eſt uirulenta, ſubtilis, & corroſiua. R. terebinthinæ lotæ unc. iij. uitelli ouorũ nu. ij. olei roſati, lithargyrij, ana unc. i. in primis ducatur lithargyrium cum oleo roſato, ita ut fiat perfecta mixtio: poſtea adde terebinthinã & oua &c. & fiat unguentũ, & utere ſuper lichinia, ut dictum eſt. Aliud unguentum ut ſuprà digeſtiuũ. R. unguenti de plumbo, terebinthinæ, ana unc. i. butyri unc. s. axungiæ porcinæ unc. s. argẽti uiui unc. i. fiat unguentum ſecundũ artem dictam, & utere. Potes etiã cum iſto procedere. R. olei roſati, terebinthinæ claræ, uitelli ouorũ, ana ℥. i. miſce, & fiat unguentum, & utere &c. Facta digeſtione quæ cognoſcitur per bonitatem ſaniei, in albedine, lenitate, & æqualitate, oportet cum mundificatiuis procedere, & hoc ſecundũ diuerſitatem ſaniei, ulcerum & membrorum. Et in primis ſcribam unguenta mundificatiua cõmunia, poſtea particularia notabo. Vnguentum igitur mundificatiuum commune eſt hoc: R. terebinthinæ ℥. ij. mellis roſati ℥. i. farinæ ordei q. ſ. miſce, & fiat unguentũ, quod mundificat ſaniem laudabilem in quacunq; parte corporis. Aliud unguentum mundificatiuum cõmune cum pulueribus. R. terebinthinæ ℥. ij. mellis roſati ℥. i. farinæ ordei, myrrhæ, olibani, maſtichis, ana ʒ. ij. miſce, & fiat unguentum, & utere ſuper lichinia, ut dictum fuit. Et ne pars iſta ex multorum unguentorũ deſcriptione ſit nimis tædioſa, utere unguentis cõmunibus ab alijs autoribus ſcriptis ſecundũ neceſſitatem: uerbi gratia, in ulceribus capitis utere unguento de gumma ellenij, unguẽto de betonica, unguento de matre ſylua &c. & in alijs membris ſecũdũ membri

naturam,

naturam, & ulcerum, ut unguento apoſtolorũ in ulceribus putridis, ſordidis, malis & profundis, uel fiſtuloſis. Quod ſi non potes alio modo, diſſolue unguenta cum uino, uel aliquo alio appropriato, ut eſt lixiuium & acetum &c. Et multum confert diſſoluere unguentũ ægyptiacum cum aceto uel uino, & in fiſtulã iniicere, quoniam remouet duritiẽ ſiue carnem calloſam &c. Potes etiam uti unguẽto ceraſeos magno D. Meſue, & in minus malignis, miſcẽdo dicta unguenta, cum unguento baſilicone, uel cum unguẽto raſino, aut cum aureo D. Meſue. Et quando ulcus eſt calidũ, poſſumus applicare mundificantia alterius ordinis, ut eſt unguentũ de tuthia, & eſt pompholygos, unguentum de ceruſa, cum camphora, & ſine camphora, ſecundũ maiorem & minorem inflammationẽ: & etiam factum magiſtraliter cum ſucco ſolatri, & decoctum uel unguentũ de plumbo, & in aliquo caſu unguentũ de minio cum camphora, & ſine, & alia quamplurima mundificãtia quæ ſunt eiuſdem uirtutis cum extinctione &c. & aliquãdo miſcere unum cum alio, ut dictum eſt, ſecundũ alias complicationes ægritudinis, uel accidentium cum ipſo ulcere, & ſic extinguere caliditatẽ, aut prohibere corroſionem, & alia remouendo accidentia prohibentia conſolidationem. Et habita ſic conſideratione omnium tam accidentium quàm aliorum impedientium recte procedes in iſta ægritudine, in qua tanta malignitas reperit, ut ſenſu apparet taliter quod medicamina ſcripta ab antiquis nõ ſemper cõferunt, ſed potius quandoq; irritant huiuſmodi ulcera morbi Neapolitani. Et cum ſint ita experta per me, & alios ſæpe, medicamina hic ſcribere intẽdo cum eorũ uirtutibus, ut ipſa canonice unicuiq; ulceri, & loco applicare ualeas. Et in primis puluis angelicus à me dictus propter mirabilẽ eius operationem & angelicam in iſto morbo: nam eſt medicina exiccatiua cum aliquali domeſtica & ſine dolore corroſione carnis mollis & ſuperfluæ, & eſt remotiua malæ qualitatis

occultę ulcerũ, & maxime morbi Neapolitani: eſtq; digeſtiua cuiuſcunq; ſaniei, & mundificatiua remouens deambulationem & corroſionem, & prohibet deambulationẽ cancrenæ, diſſoluitq; ſaniem groſſam ſiue duram indigeſtam poſt apertionẽ grumarũ. Et huic medicamini non eſt par in tali morbo, quoniam ſi cum ipſo procedas, uſq; ad perfectam cutis generationem ducit, ut ego ſæpe expertus ſum: & eſt nobilis in uirgæ ulceribus malignis. Et modus conficiendi ipſum eſt iſte. R. argenti uiui ℔.i. pone in cucurbita parua uitrea, deinde pone deſuper aquæ cum qua ſeparatur aurũ ab argento ℔.i. & pone cucurbitam in olla, & in ſpacio inter cucurbitam & parietem ollæ pone cinerem, ut conſeruetur olla, ne ex immediato cõtactu ignis rumpatur: quæ olla cum cucurbita intus ponatur ad ignẽ in primis lentum, poſtea augeatur modo quodam medio, & ſic cum forti igne dimittatur uſquequo tota aqua cõſumpta ſit, quod cognoſcitur quia non euaporat aliquid ab ipſa cucurbita, & habebis mercuriũ calcinatum rubeum: puluerizа ipſum, et ſi intus aliqua portio argẽti uiui remanſerit, pone dictum puluerem in catina ærea nitida ad ignẽ, & ſic miſcendo dimitte uſq; dum tota argenti uiui pars ſit cõſumpta, & iſto puluere utere ad omnia dicta, & maxime ad ulcera uirgæ, & aliorum locorum, ubi putredo & ſanies mala prohibet conſolidationem, & in fiſtulis diſſolue ipſum cum uino, & proijce per æneam fiſtulam, quoniã mirabiliter operatur. Modus faciendi aquam ſeparationis auri ab argẽto eſt iſte: R. uitrioli romani ℔.ij. aluminis rochæ ʒ.xvi. ſalis nitri ℔.i. pone in cucurbitã curuam lutatam, uel ſi uis pone in rectã cum capello ſuo & recipiente ad ignem fornacis, ut faciunt alchymiſtæ, & habebis aquam cum qua ſeparatur aurũ ab argento, & cum qua fit puluis angelicus, quæ aqua eſt mirabilis ad remouendas uerrucas in quacunq; parte, & maxime in ano & uulua: cauterizat etiã iſta aqua ulcera maligna ambulatiua ubicunq;, etiã in gutture,

Puluis ãgelicus

&

& prohibet deambulationẽ ulcerum ubi ſunt, utputa, uirgæ, & uuluæ. Sed cum eſt nimis acuta, oportet lymphare ipſam cum aqua roſacea. Et ego ſæpe ſanaui ulcera mala gutturis tangendo bis in die cum aqua dicta, cum medietate aquæ roſatæ admixta, & eſt de ſecretis noſtris. Et quãuis Ioannes de Vigo uir doctiſſimus, ipſum puluerem doceat componere ſub nomine pulueris rubei, nihil ei debeo in hoc, quoniam antequam ipſe ſcriberet, ego ipſum componebã, & habui à quodam uiro alchymiſta ſene, qui erat mirabilis experimentator, & multa alia ipſe docuit me, cuius anima requieſcat in pace, quoniam mortuus eſt &c. Hoc uiſo de unguentis ſcribam, & primo unguentũ mundificatiuum ulceris morbi Neapolitani expertũ, remouens malam qualitatẽ occultam, & diſſoluens duritiem grumoſam reducendo ad bonam ſaniem, & mitigat dolorem, carnemq; laudabilem generat: cuius deſcriptio eſt iſta: R. maſtichis, thuris, colofoniæ, ceruſæ, argenti uiui, olei roſati, ana ʒ.i.s. axungiæ porcinæ ℔.i. ſucci aranciorũ ʒ.i. cum quo argentũ uiuũ mortificabis: poſtea pone axungiam & reliqua in mortario, & cum piſtillo ducẽdo fiat unguentum, cum quo ulcera ſuper lichinia & pannũ ponendo mundifica. Aliud unguentũ mundificatiuũ optimum. R. unguenti raſini, axungiæ porcinæ, ana unc.vi. argẽti uiui unc.ij. maſtichis, olibani, ceruſſę, ana unc.i. lithargyrij unc.s. olei de myrto unc.ij. miſce, & fiat unguentũ in mortario, & utere ut ſuprà. Aliud unguentum per me maſtichinum dictum, & eſt de ſecretis, mundificat ulcera profunda, ſordida, mala: & remouet malam qualitatẽ occultam, ſanat quodcunq; ulcus uirgæ, & uuluæ, aliorumq; locorum humidorum, cui non eſt par. R. unguenti raſini unc.iiij. unguenti damaſceni unc.ij. mercurij, maſtichis, ana unc.i. ceruſſæ, lithargyrij, ana ʒ.vi. olei myrtini q.ſ. fiat ex eis unguentum in mortario, in bona forma, & extẽſibile, quo utere, quoniã ægris utilitatem, & tibi honorem dabit. Vna

Pulrubeo.

guenti damaſceni deſcriptio eſt iſta: R. unguenti raſini ℥.iij. uiridi æris ʒ.i. diſſolue in catina ad ignem unguentum, poſtea pone uiride æs bene puluerizatum in fine, ſemper bene cum baculo agitando, donec perfectã habeat admixtionem: & eſt mundificatiuũ ulcerum profundorum, & putridorum: eſtq; exiccatiuũ malarum humiditatum & cicatrizatiuum &c. Et hæc de unguentis ſufficiant. Cerotaria quæ ad hanc ægritudinem conferunt ſunt diuerſa, ſicut eſt diuerſitas in diſpoſitionibus membrorum. Ego uero in ulceribus capitis nunquam à cerotis de betonica diſceſſi: & quamuis de ipſis multæ ſint deſcriptiones, tamen unã tantũ ponam: & eſt iſta: R. terebinthinæ, r ſinæ pini, olei roſati, ana unc. vi. ceræ unc. v. betonicæ, matris ſyluæ, ana unc. vij. infundantur herbæ per tres dies in uino mõtano, dulci: & omnia alia ſimul decoque ad uini conſumptionem, poſtea per colatorium cola, & abiectis herbis pone ad ignem, & adde gummi elenij, ſarcocollæ, olibani, ana unciã. i. pro libra, & ad ignem ſecundũ artem fiat cerotum, quod eſt mirabile cuicunq; ulceri capitis, & morbi Neapolitani, quoniam cicatrizat poſt incarnationem omnia capitis ulcera: uerum quando indigeo maiori exiccatione, pono cum iſto tertiã partem unguenti de minio, & eſt mirabilis operationis. In alijs corporis partibus optimũ eſt cerotum de minio uſuale, quoniam mundificat, & cicatrizat unumquodq; ulcus poſt incarnationem, uel poſt regenerationem carnis. Sed ut ultra uſualia, aliqua alia habeas cerotaria, ſcribam cerotum de minio quod confert ut ſupra. R. minij unc. vi. lithargyrij aurei unc. ij. ceruſſæ unc. i. olibani unc. i. olei roſati, liliorum alborum, ana ℔. i. ſepi hircini unc. iij. fiat cerotũ ad ignem ſecundum artem, & utere ſecundũ neceſſitatem. Aliud cerotum quod cicatrizat quæcunq; ulcera fraudulenta mala, & mollificat labia oſtracoſa, & occultam qualitatem remouet, maximumq; eſt præſidiũ tibiarum ulceribus antiquis, quoniã ſanat ipſa ſine dubio. R. lithargyrij aurei

rei unc. vi. boli armeni unc. ij. olibani, opopanacis, ana unc. i. ceruſſæ, minij, ana unc. i. s. camphoræ unc. s. ceræ albæ unc. viij. ſepi caſtrati, olei laurini, ana unc. ij. olei communis unc. v. fiat ex iſtis cerotum ſecundũ artem, & utere, quoniam eſt de ſecretis expertis ad ulcera morbi Neapolitani maligna: nam remouet deambulationẽ, & cicatrizat, ſorditiemq; & alias malas ſanies digerit, & maxime in ulceribus crurium. Ad eandem intentionẽ ualet & mirabiliter confert cerotũ ſcriptum in cura per unctionem, & ego ſæpe utor, quoniam incarnat, & cicatrizat mirabiliter &c. Sed quia aliquando loca ulcerum, & aliæ cõditiones alias formas medicaminum requirunt, ideo his uiſis, diuerſa alia medicamina, quæ diuerſis membris & ulceribus conferunt, ſcribam. Et primo aqua conſolidatiua ulcerum gutturis, palati, gingiuarum & labiorũ, ſi cum ea bis in die cum radio, in cuius capite cotum ſit, & in ipſa madefacto ulcera tanges. R. aluminis rochæ drac. iiij. zuccari fini drach. ij. uiridi æris ſcrup. i. aquarum plantaginis, roſarũ, ana unc. iiij. bulliant ad cõſumptionẽ tertiæ partis, & cola, & utere. Alia aqua quæ eſt fortior, & nobilioris operationis. R. aquæ ſeparationis auri ab argento partem unam, aquæ roſatæ partes tres, miſce, & tange ulcera, ut dictum eſt, quoniam ſanabis ulcera dicta, quia ultra exiccationem remouet deambulationem, & prohibet deſcenſum materiæ &c. Alia aqua ſiue decoctio cum qua fit gargarizatio in ulceribus malignis gutturis & oris uel gingiuarum, reſoluitq; apoſtemata, & prohibet deſcenſum materiæ, mundificat ſaniem, & ulcera ad cicatrizationẽ dirigit. R. roſarum, myrtillorũ, arnogloſſæ, bislinguæ, plantaginis, ana ʒ. iiij. balauſtiarum, gallarum, ana ʒ. v. aluminis rochæ ʒ. iij. aquæ plantaginis ℔. i. s. bulliant ad conſumptionẽ tertiæ partis & cola, & in ipſa colatura pone ℥. iij. ſyrupi acetoſi, uel diamoronis, uel mellis roſati, & de alijs ſecundũ neceſſitatem. Alia decoctio lauatiua eiuſdem uirtutis & maioris efficaciæ, & eſt incar

natiua, cõfortatiua loci ulcerati, & cicatrizatiua ulceris. R. rosarũ rubearũ, balaustiarũ, mirtyllorũ, berberorũ, ana manip. i. gallarum nu. vi. myrrhæ, aluminis rochæ, antimonij, ana ʒ. iij. aquæ plantaginis in qua ferrum decies extinguatur, uini stiptici non uinosi, ana ℔. ij. decoquantur secundũ artem, & lauẽtur cum ista ulcera tempore necessitatis in quocunq; membro: & si ulcera sunt in gutture, fiat cum frusto spongiæ in capite radij, uel cum alio ingenio, ut in uuluam eijciendo per syringã, & etiam in fistulis. Quod si isto ingenio ulcera dicta non potes sanare, & maiorem exiccationem uolueris, utere isto puluere: R. tuthiæ præparatæ, terræ sigillatæ, acaciæ, corallorũ rubeorũ, ana ʒ. s. sanguinis draconis, thuris, seminũ plantaginis, mirtyllorum, ana ℈. i. puluerizentur, & simul incorporentur, & per cannulam in ulcere fistuloso, uel alio loco insufflabis, & hoc bis uel ter in die secundũ rei indigentiã &c. Alia lotio siue decoctio lauatiua, ualens ad inflationem membri genitalis & uuluæ præcipue, sanatq; eorum ulcera mala. R. rosarum rubearum siccarum, foliorũ myrti, corticum granatorum, balaustiarum, tartari uini albi, aluminis rochæ, ordei, seminũ caulium, ana partes æquales, aquæ plantaginis q. s. fiat decoctio in olla lapidea secundũ artem, & cola, & in quacunq; libra decoctionis ponãtur ʒ. iij. mellis rosati, & utere, quoniã mirabiliter ulceribus confert, ut dixi. Postremo cicatrizabis cum unguento mastichino suprà scripto. Vnum tamen nõ prætermittam, quoniam iam dictum fuit inter enumerãdo signa & accidentia, quod aliquãdo post curam fixuræ in uolis manuum & plantis pedum remanent etiam quædam squamositates quæ sunt malæ, non solum propter defœdationem, uerumetiam quoniam sunt aliquando cum dolore: quare succurratur sic in primis: purgato corpore suffumigentur, seu lauentur manus, uel pedes cum ista lotione calida. Recipe maluæ, fumiterræ, parietariæ, ana manip. i. radicis altheæ, consolidæ,

ana

ana unc. iiij. bulliant in aqua dulci cum qua lauentur ut ſuprà. Poſtea ungantur cum unguento noſtro benedicto in cura per unctionem ſcripto, uel cum iſto: Recipe albuminis ouorũ nu. ij. pinguedinis hirci unc. s. ſublimati ſcrup. ij. aluminis combuſti drach. s. miſce, & fiat unguentũ in mortario lapideo cum piſtillo ligneo. Quod ſi aliqua inflatio, uel mordicatio ſequat̃ ex dicto unguento, unge locum cum butyro recenti ſæpe. Et ſi propter ſublimatum times hoc unguentum, unge poſt lotionem manus & pedes cum unguento noſtro hircino, cuius hęc eſt deſcriptio: R. olei roſati, ceræ, ana unc. iij. ſepi hircini unc. i. ſucci rapæ uel napi unc. vi. bulliãt ad conſumptionẽ ſucci, & fiat unguentũ, & utere, quoniam multum cõfert in fixuris manuũ & pedum morbi Neapolitani, & etiam in ulceribus à uulgaribus bugance dictis, & ualet fixuris manuum à frigore hyemis factis, & eſt medicina dicta mirabilis. Et hæc de remedijs ulcerum morbi Neapolitani ſecundũ eorum diuerſitatem in figura, ſanie, & alijs. Sed quoniã ſæpe corruptio, putrefactio, aut alteratio aliqua oſſis eſt in cauſa ne ulcera conſolidentur, ut dixi ſuprà, ideo ſecundum quantitatem cum inſtrumentis tota quantitas tollatur, utputa cum cauterio ignito, uel cum fricatorijs, & ſcalpro: quod ſi nõ fuerit magna, ſed ſuperficialis, & parua, cum diuerſis medicinalibus ingenijs remouebis. Et primo ualet puluis iſte ſquamans oſſa ſuperficialiter corrupta in quocunq; ulcere. R. radicis ireos ſylueſtris, ariſtologiæ, ana ʒ. i. centaureæ drach. ij corticis pini drach. s. miſce, & pulueriza ſubtiliſſime, de quo pone ſuper os alteratum ſiue corruptum, quoniam remouet ſuperficiem oſſis corrupti ſiue denigrati. Potes etiam ex dicto puluere & melle facere unguentũ, de quo ponatur ſuper os, ut dictũ eſt. Ad eandem intentionẽ ualet aqua uitæ cum melle roſato, & calcanto aduſto, in qua infundantur lichinia, & ponantur ſuper os corruptum: uel ponatur puluerис euforbij ſuper os, & eſt ultimum: aut

fiat cum iam dicto puluere, ana partes æquales mixtio, & ponatur: uel remoue cum unguento ægyptiaco super os posito &c. tamen semper bonum est munire carnem circumcirca cum aliquo unguẽto defensiuo, maxime quando cum acutissimo medicamine procedimus, ut est euforbium, & alia &c. Remoto igitur osse corrupto, ad perfectam consolidationẽ cum incarnantibus, & reliquis, ut dictum est, uenies. De cura morbi & accidentium hæc satis dicta sint: reliquum est de præseruatione à recidiua, quæ rationi consona sunt, & experimento probata, dicere.

Qua ratione à recidiua quisq; sibi præcauere possit, & quomodo uires sint restaurandæ. Caput VI.

VIsum est sæpe & sæpius, qui tali morbo laborauere, post sanationem, & totalem accidentiũ remotionem, post aliquot menses, imò post annos aliquos in recidiuam pessimã incidere, tum ob dispositionẽ subiecti, tum etiam ex malo regimine in reliquis: quare si aliquas regulas à præseruatione dicti morbi posuero, non ingratas fore putaui &c. Rem igitur aggredior, quæ in tribus magnificis intentionibus cõsistit: prima quarum est regimen in sex rebus nõ naturalibus, de quibus iam sparsim dictum est: & ideo post sanitatẽ regimen illud quod iam dictũ est confert si quis à recidiua præseruare uoluerit, & maxime regimen contactus in coitu & alijs contactibus, fugiendo dormitionem cum infectis, & maxime coitum cum muliere si est uir, aut cum uiro infecto si est mulier, faciendo lotionem cum uino in membro uirili uel uulua cum uino calido simplici, uel cum aceto nõ uinoso, quod magis mihi placet, quoniã conseruat humores ab alteratione mala: uel fiat lautio in dictis membris cum ista decoctione: ℞. rosarũ, myrtillorũ, saluiæ, absinthij, ana manip. i. bulliãt in uino & aceto paruo: quod si sunt fortia, adde totidẽ aquæ, & laua post coitũ immediate: hoc etiã facito quandoq; cum uino solo aut aceto, & etiam ante coitum, si quis fatuus

cum

cum infecta coiuerit ſciens &c. Secunda intẽtio eſt con
fortare membra non ſolum intrinſeca, ſed etiam extrin
ſeca, maxime ſi paſſa ſint, puta dolores, apoſtemata, uel
ulcera &c. Sed cum dictum ſit intrinſecum membrum
eſſe hepar, à quo tota quantitas materiæ tranſmittitur,
ideo ipſi primo attendere oportet, non obliuioni dimit
tendo ſtomachum, quod eſt membrum ſeruiens hepa-
ti immediate. Hoc idem dico de alijs membris ſi fuerint
membra læſa, per quæ hepatis nocumentum fouetur,
ut eſt matrix in mulieribus in retentione menſtrui: dice
bat nanq; Hippoc. menſtruis euenientibus & non eue- Part. 5.
nientibus fiunt ægritudines &c. Cõfortantia in primis Aphor. 57.
hepar & ſtomachum ſunt iſta: diarohodon abbatis, aro
maticum roſatum, triaſandali, diamuſcum dulce, pliris
arcoticum, lætificans Almanſoris, uel Galeni, uel cum
unctionibus ab extra, maxime cordi: & ego utor iſta
quando ſincopis accidit ægris à quacunq; cauſa. ℞. the-
riacæ bonæ, uel mithridati ʒ. iij. ſucci bugloſſæ ℥. s. olei
roſati, nenufarini, ana ʒ. v. fragmentorũ de gemmis, co-
rallorum rubeorũ, ana ʒ. s. miſce, & fiat unguentũ, uel
fiat epithema cordiale temperatũ. Et multa alia ſcripta
à doctoribus: & dabis de uno iſtorum rotulã unam uel
duas in mane ſecundũ neceſſitatẽ, per quatuor horas
ante prandiũ: & hoc fiat per ſpacium unius menſis ad
minus poſt ſanationem: ſed ego utor ſæpe diarhodone
abbatis. De tertia intentione utatur ſecundũ patientis
uirtutem aliqua euacuatione leui reſpiciente materiam
phlegmaticã, de quibus iam ſuperius dictum eſt, & uir-
tutes eorum in diuerſis formis, uidelicet in electuarijs,
pilulis, & confectione in rotulis: & ad hoc multum ua-
lent confectio Hamech, & pilulæ noſtræ, ſi quis magis
pilulas diligat, uel etiam confectio noſtra in rotulis ſo-
lutiua, in cap. de his quæ doloribus opitulãtur dicta: &
ſic tuum erit ſecundũ neceſſitatẽ euacuare. Inter cætera
ſummopere laudo prouocationẽ uomitus ſemel ad mi
nus in hebdomada, ſi fieri poteſt ſine patientis diſcrimi-

ne, quoniã euacuat materiã propriam ægritudinis, & præseruat à doloribus iuncturarũ & ipsos mitigat, imò aliquando sanat diuertendo materiã: qui uomitus prouocetur per impositionem digiti, uel pennæ in ore, uel cum euomitiuo domestico, uerbi gratia, cum aqua tepida de syrupo acetoso, uel aliquo alio, ut est aqua rafani &c. semper tamen membra intrinseca cõfortando tam principalia quàm fouẽtia: puta si fuerit splen, aut renes, uel matrix, aut caput, cõfortetur cum appropriatis ipsis membris, aperiendo splenis oppilationẽ, & menstrua ducendo, & reliqua faciendo secundũ necessitatẽ. Esto tamen memor semper de hepate quod est minera istius morbi. Et ut completam doctrinã habeas, utere isto electuario experto pro hepatis confortatione, quoniã mirabilis est eius uirtus, nam corrigit discrasiam hepatis frigidam. Malas humiditates ab ipso genitas cõsumit, stomachum corroborat, sanguinem mundificat, & digestionem perfectam procurat: cuius talis est descriptio: R. cinnamomi electi ʒ.ij. macis ʒ.i. cassiæ ligneæ ʒ.i.s. florum granatorũ agrestium ʒ.v. croci ℈.i. rosarum rubearum ʒ.s. sandalorũ rubeorũ ℥.i. passularũ ʒ.v. miuæ citoniorum q.s. misce, & fiat electuariũ secundũ artem, de quo detur in mane ad quantitatẽ castaneæ, aut ʒ.iiij. Vel dentur istæ rotulę per me sæpe expertę: R. specierũ diarhodon abbatis ℥.i. myrobalanorum nigrarum, kebularum, indarũ, rheubarbari, ana ʒ.s. epithymi, polypodij, succi fumiterræ exiccati, ana ℈.i. succi eupatorij ℈.ij. spicæ, squinanti, ana ʒ.s. zuccari fini q.s. fiat confectio in rotulis cum aqua rosata, de qua sumat æger rotulam unam aut duas in mane, ut dictum est suprà. Et sic præseruabis à recidiua istius ægritudinis. Sed quoniam interdum sunt dispositiones occultæ decipientes medicos, ita quod iterum redit ægritudo, quamuis sit omnis obseruatio, & in regimine diligentia: quare nõ oportet desistere, sed cum iterum in dictam ægritudinẽ ueniũt, audacter procede cum regulis in primis curationibus

dictis

dictis, uidelicet euacuando, aut cum potione aquæ ligni Indici, uel cum unctionibus, siue cũ suffumigijs, & alijs ingenijs iam dictis, quoniã sunt remouentia istas occultas proprietates, & sic domino auxiliante à quo cuncta procedunt, unamquanq; Neapolitani morbi dispositionem sanabis. Dicta itaque hæc à me satis sint in negociosissima urbe morante, futurum est ut quæ cœpta iam sunt de alijs ægritudinibus & curis, expectes, quæ eodem domino fauente perficiã. Adesto igitur domine supplicationibus famuli tui, & huic nostri opusculi sigillationi, ut ea quæ tuo nomine, tuaq; protectione cœpi, tuo nomine & protectione finiantur.

NICOLAI MASSAE DE MORBI NEAPOLITANI CVRA FINIS.

NICOLAI POLL CAESAREAE MAIESTATIS physici de cura morbi Gallici per lignum Guaycanum libellus.

De præparatione ægroti ad curationẽ per lignum. Caput I.

IN primis igitur qui ab hoc morbo exitioso liberari percupiuerint, etiã quantumuis male per ipsum deturpati fuerint, purgari debent ab humoribus peccantibus, præmissis tamen, si opus fuerit, digestiuis appropriatis iuxta medici periti consiliũ, qui quidem medicus in primis uirtutis robur membrorũ principalium, operationẽ complexionis innatæ ab acquisita distantia, & ipsius humoris abundantis peccantisq; qualitatẽ bene pensitauerit: quamuis etiã dixero aliquos inueniri, qui ad tantam, imò ad extremam resolutionem reducti sunt, ut in eis nullus fortassis humor purgari queat, nisi ille qui per lignũ Guaycanũ educi solet, & talibus non